

Regulus:

Innum quae

nis: ac pri

cepti imperii

Romani. Germa

nici a patre.

heres institutus

de certo et legitime

pro suis meritis

introducendo gra-


viam et si non puer

quodam successum

pro variis punit







Examen Quaestionis,

AN PRINCEPS IMPERII ROMANO- GERMANICI, DVX, MAR-

chio, Comes Prouincialis, vel alius, Baro, &c. in Princi-
patu & feudo regali maiori à Patre vel Agnato heres vel
successor datus ac institutus, conditione vel onere, de
certo aliquo Religionis exercitio introducendo, retinendo ac
propagando, grauari, &, si non pareat, eius-
dem successione priuari
possit?

AVTHORE

IOANNE REGVLO, VVESTPHALO.



ANNO M. DC. XXVII.





N T E triennium, & quod excurrit, in controuersia
 Successionis Marpurgensis Sententia Imperialis pro
 Illustrissimo ac Celsissimo Principe ac Domino, Dn.
 L V D O V I C O Hassiæ Landgrauio, contra itidem Il-
 lustrissimum & Celsissimum Principem ac Domi-
 num, Dn. M A V R I T I V M patruelem, in Conuentu
 R A T I S B O N E N S I lata fuit, quod hic hereditatem
 sibi à patruo Dn. L V D O V I C O, Principe quondam laudatissimo, fe-
 licis recordationis, pro dimidia parte testamento relictam adiisset,
 contentaque ipsius diuersis vicibus adprobasset, conditioni vero de
 retinendo exercitio Religionis Confessione C A R O L O V, Impera-
 tori, laudatissimæ & felicissimæ memoriæ, in Comitibus Imperialibus
 An. 1530. A V G V S T Æ exhibitæ, eiusdemque Apologiæ conformis,
 nec ab ea vlllo modo discordatis, ac de nullo alio permittendo vel in-
 troducendo, vt & de retinendis, fouendis ac tuendis Superintenden-
 tibus, Doctoribus, Pastoribus, Ecclesiarum Ministris, & in demortuo-
 rum locum aliis eiusdem Religionis in Ecclesiis & Scholis, maxime
 vero in Academia Marpurgensi, substituendis, non paruisset, sed no-
 torie contrauenisset, quæ omnia latius habentur in *Actis dictæ Successio-
 nis*, Gieslæ impressis, & quidem copia testamenti ipsius in documen-
 tis *sub lit. A.*

Quia vero controuersia haud caret, an Princeps vasallus insti-
 tutus, onere exercitij certæ Religionis retinendi, relinquendi, vel in-
 troducendi in relicto Ducatu, Marchionatu, Comitatu, vel alio simili
 Principatu grauari possit, dicta Sententia mihi occasionem præbuit,
 quæstionem illam paucis examinandi, quod illam à nemine in specie
 hæctenus tractatam viderim, nisi quod Iacob. Aleman. *in palest. r. conf.
 illustr. conf. 10.* similem tractet de legato sub conditione Pontificiæ re-
 ligio.

ligionis relicto, vbi Scabinos Wittebergenses & Ienenses pro negatiua, & quod eiusmodi conditio non liget; Magdeburgenses vero pro affirmatiua & validitate conditionis pronunciaſſe refert, prout etiam huiusmodi conditionem honeſtam & poſſibilem eſſe, non ita pridem de facto conſultam Facultatem Iuridicam in Academia Lipſenſi reſpondiſſe teſtatur *Johan. von Langen* in diſputatione inaugurali.

Pro negatiua ſane opinione ſequentes non parum prægnantes rationes militare videntur: & primo quidem vulgata iuris regula, neminem teſtamento poſſe cauere, ne leges in illo valeant: *L. nemo. 55. D. de leg. 1.* Teſtator enim videre debet, ne diſponendo aliquid contra leges faciat. *L. ſi quis inquilinus. 112. §. 3. & 4. D. d. t.* Quod adeo verum eſt, vt etiam ſi teſtator ſpecialiter derogauerit legibus, id non valeat. Nam id ſolius eſt Principis, qui ſolutus eſt legibus. *L. Princeps. 31. D. de legibus.* qui, cum quid aduerſus leges facit, addere ſolet, *non obſtante lege, &c.* Teſtatoris, vtpote hominis priuati, tanta autoritas non eſt. *Duar. ad d. l. nemo poteſt.* Hinc, quod dicitur in *Nov. 22. cap. 2.* in verb. *diſponat, & erit lex, &c.* Voluntatem teſtatoris pro lege habendam eſſe, ita accipiendum eſt, modo cõtra legem nihil faciat *Duar. d. lo.* Sic collegæ poteſtatem habent pactiõnem, quam velint, ſibi ferre, ne quid tamen ex lege publica corrumpant. Sic in genere pacta contra iuris ciuilibus regulas & leges non valent. *L. 7. §. ait prator. 7. & §. & generaliter 16. L. contra 2. D. de pact.* Sic diſpoſitiones morientium ſemper ſunt firmæ, niſi reſultent legi, & aperte contrariæ ſint iis, quæ illi placent *Novell. 48. in pr.* Quin imo, ne filius quidem tenetur ad probare factum vel voluntatem patris contra legem, vt teſtatur *Ruin. conſ. 42. num. 3. vol. 3.* vbi allegat Baldum & alios, maxime Paulum de Caſtr. *in l. 2. D. ſi quid in fraud. patr. & in L. cum à matre. C. de rei vind.* Quod etiam tradiderunt *Paris. conſ. 33. n. 97. vol. 3.* *Tiraq. de retr lign. §. 3. gl. 9. n. 57.* *Pinel. in l. 1. p. 3. n. 99. C. de bon. mat. & Molin. in conſuet. Paris. tit. 1. §. 8. gl. 3. n. 22.*

Sed placuit Cæſari cum Ordinibus Imperij, vt quilibet Princeps, Dux, Marchio, Landgravius, Burggravius vel Comes Priſcæ vel Au-guſtanæ Confessionis Religionis, quam quiſque profiteretur & ſequitur, exercitium introducere & inſtituere poſſit, idque publica lege in
perpe-

perpetuum, ad vsque summam & placidam Religionis concilia-
tionem, facta rectaque, & inuiolata ab omnibus seruanda cauerunt:
quæ facultas haud immerito pro magno regali æstimanda ac ha-
benda.

Sequitur ergo hanc potestatem de libero Religionis exercitio il-
lis testamento vel facto antecessoris adimi non posse, & heredem pos-
se contrauenire voluntati & facto defuncti in eo, quod defunctus
contra legis dispositionē disposuit. Bald. *conf.* 161 *vol.* 5. Guid. Pap. *sin-*
gul. 377. *num.* 10. per *L. si quis inquilinus. §. fin. D. de leg. 1.* vbi I C. attesta-
tur, Diuos Seuerum & Antoninum rescripsisse, iusiurandum contra
vim legum & auctoritatem iuris in testamento scriptum nullius esse
momenti. Hinc fit, vt quod ius siue lex remittit, id heres quoque o-
mittat impune, vtputa conditionem iurisiurandi, quæ à prætore re-
probatur. *L. quæ sub conditione. 8. in princ. D. de cond. instit.* Talis est etiam
conditio diuortij, quæ, legibus prohibita, pro non adiecta habetur, ta-
met si testamento inserta sit, *l. reprehendenda. 5. C. de inst. & subst.* Ita caue-
re & prohibere nemo potest, quo minus hæredes detrahant quartam
Trebellianicam. *L. 6. C. ad S C tum Trebell Clar. lib. 3 senten. §. testamentum.*
q. 42. Sic multi sentiunt testamenti ad probationem tacitam, quæ fit
per aditionem, vel etiam expressam, sine tamen promissione, vel sti-
pulatione nõ præiudicare filio quoad legitimam. Ruin. *conf.* 56 *vol.* 2.
Paris. *conf.* 13. *vol.* 2. Rube. *conf.* 43. *per tot.* vtpote à qua omne grauamen
reiiciatur, & pro non adiecto habeatur. *L. omnimodo. 30. L. quoniam in*
prioribus. 32. L. scimus. 35. §. cum autem. C. de inoffi. testam. Hinc Bald. *in L. si*
quando generaliter. C. eod. asserit, quod filia acceptans legatum sibi fa-
ctum cum onere plus non petendi, non ideo prohibetur petere legi-
timam: quod ibi sequuntur Castrens. Salicet. & Iason. Hæc omnia eo
magis stringere videntur in Principatibus, in quib. testamentum vel
alia eiusmodi defuncti voluntas & dispositio locum non habet: Ioan.
Dauth. *de testam. in princ. nu.* 253. prout regulariter vasallus de feudo te-
stari vel disponere nequit. *c. 1. de success. feud. Paris. conf.* 98. *n. 3. vol.* 2.

Facit secundo pro ista sententia, quod cuilibet magistratui ra-
tione officij incumbit operam dare & prouidere, vt in territorio atq;

A 3 distri-



districtu suo professio falsæ doctrinæ, atque idololatricij, superstitio-
si & non necessarij cultus atque ceremoniæ abrogentur & extirpen-
tur, e contra vera doctrina ac Religio cum ceremoniis & cultib. Chri-
stianis introducatur, propagetur ac conseruetur, qua ratione, ex Sa-
cris Literis, Sanctis Patribus, Principumque constitutionibus petita,
Euangelici Status ante Pacem Religionis vsi fuere, vti videre est in
Consiliis & Scriptis relatis per Hortleder. *in Actis & scriptis de caus. bell.*
Germ. lib. 1. c. 2. nu. 18. & seqq. lib. 4. c. 7. n. 56. c. 20. nu. 27. 28. & 55. c. 35. nu. 34.
& 35 lib. 5. c. 8. n. 31. & seqq. ac passim alibi tom. 1.

Quia ergo hæc eadem ratio etiam post Constitutionem Pacis
religiøsæ militat, videtur ista libertas multo minus filio vel agna-
to successoris per dispositionem vel ordinationem vltimæ voluntatis
auferri, vel minui posse. Adde, quod facta, quæ lædunt pietatem,
existimationem, verecundiam, & generaliter, quæ contra bonos
mores fiunt, ea nos nec facere posse credendum est. *L. filius 13. D. de*
cond. institut. Ea namque impossibilia dicuntur, quæ non nisi cum
dedecore possumus, vti notat Godofred. *ibidem*, & *ad L. 79. D. de iur.*
d. t. Et impossibiles natura aut iure conditiones testamento adscri-
ptæ, velut inutiles, pro non scriptis habentur. *L. continuus. 137. §. cum*
quid. D. de verbor. obligat. L. 3. de cond. & demonstr. L. non tantum. 3. §. si eman-
cipatus. D. de bon. poss. cont. tab. & ibi Bartolus, vbi idem Godofred.
notat huiusmodi conditiones vitari, *L. 1. D. de cond. instit.* euanesce-
re, *L. 6. D. eod.* pro non scriptis accipiendas esse. *L. 6. in fin. L. 20.*
D. de cond. & demonstrat. L. 16. in fin. D. de iniust. rupt. test. L. 12. §. 1. in fin.
L. 104. §. 1. in fin. D. de legat. 1. §. 10. I. de hered. instit. perinde ac si pure
legatum esset. *L. 9. §. 1. D. de hered. instit.* Inde est illud Marciani
resp nsu: *Si quis scripserit testamento fieri, quod contra ius est, vel bonos*
mores, non valet, veluti si quis scripserit contra legem aliquid, vel contra
dictum pratoris, vel etiam turpe aliquid. L. si quis inquilinus. 112. §. 2. D. de
legat. 2.

Si itaque filius vel agnatus Princeps, Dux, Marchio, Comes, sub
conditione Priscæ vel Euangelicæ Religionis amplectendæ, reti-
nendæ ac propagandæ instituatur, haud immerito in dubium vo-
catur,

catur, an eiusmodi institutio vel dispositio locum habeat, seu subsistat, quia ambigi nullo modo potest, quin hanc vel illam Religionem contra conscientiam profiteri, amplecti & propagare, sit factum contra bonos mores, & quod pietatem atque existimationem lædat.

Si quis enim ex verbo Dei de veritate edoctus illam studio consequendi vel retinendi Principatus, Ducatus, Marchionatus, vel Comitatus, abnegat, grauiter peccat, adeo vt peccatum in Spiritum Sanctum committere, & diabolum quasi adorare censeatur, prout Henricus Saxonix Dux, moderni Electoris proauus, Legatis fratris sui Georgij, proponentibus Ducem Georgium fratri Duci Henrico omnes suas prouincias & terras cum magna copia auri & argenti, aliarumque rerum expeditoriarum relicturum, si amplecteretur Religionem Pontificiam, respondisse fertur, non aliter se accipere hanc orationem, quã si incarnatus Diabolus sibi diceret: Hæc omnia dabo tibi, si ad genua prouolutus me adoraueris. *Sleidan. lib. 12. comment. Iacob. Aleman. in palest. d. consult. 10. pag. 982. Hinc, quia conditio iurisiurandi & diuortij ex dictis causis remissa est: L. que sub conditione. 8. D. de cond. & demonst. L. reprehendenda. C. de institut. & substitut.* quanto magis conditio Religionis negligenda & respuenda videbitur, cum longe grauius magisque abominabile sit, à Religione vera desciscere, quam à coniuge diuertere, vel iurare de hoc, siue illo non faciendo, vt argumentantur *Aleman. d. loc. Besold. lib. 2. Polit. cap. 1. nu. 42. vers. 4. Syring. in dissert. de Pac Relig. concl. 45. Henric. Cranius in diss. de Pac. Re'ig. par. 2. probl. 7. Rumelin. dissert. 6. ad Aur. Bull. p. 3. corol. 2.*

Quod si vero institutus sub eiusmodi conditione professionem quidem veræ doctrinæ & fidei retinet & amplectitur, sed ore saltem & specie exteriori, corde vero negligit, & dignitates prouinciasque pluris faciat atque amat, quam veritatem cælestem, censebitur turpiter facere & turpiter accipere.

Quamuis autem sincere credat, & ex animo, nõ tantum professione externa, tamen in eiusmodi casu quædã quasi Simonia interuenire videtur. Nam si quis in spiritualib. inuitatur spe lucri, tunc committi-

mitti-

mittitur Simonia, inquit Sichard. *in l. 1. C. de inst. & subst.* quæ fit, quando cunq; aliquid promittitur vel datur pro re sacra *c. non satis. 8. Ext. de Simon.* Vnde & eiusmodi conditiones, quæ rem sacram, Religionem puta aut similem, ære nundinantur aut prouocant, ceu turpes & Simoniacas reiiciendas tradunt Ioan. de Anan. *in d. c. non satis.* Bart. & Alex. *n L. 2. C. de inst. & subst.* Idem Bart. *in L. Titio. 71. §. Titio centum. D. de cond. & demonstr.*

Vt porro ex his apparet Principem, Ducem, Marchionem, vel Comitem sub conditione huius vel illius Religionis non recte institui, sed eam reiici, & perinde haberi, quasi scripta non esset, præsertim cum aduersetur etiam libertati conscientiarum, quod esse non debet, prout etiam ius libertatis conditione infringi non potest. *d. l. 71. §. 1. in verb. non esse locum cautioni, per quam ius libertatis infringitur,* ita idem ex ii sdem rationibus de instituto sub conditione exercitij huius vel illius Religionis introducendi ac retinendi, haud absurde statuendum videtur.

Tertio adiuuat hanc sententiam, quod præceptum testatoris iuri naturali, & multo magis diuino repugnans heredes non liget, sed ij contra illud agere possint, nec tamen in pœnam eiusmodi præcepto adiectam incidant. *L. vn. C. de his, quæ pen. nom. gl. inc. Rainutius. §. 1. Ext. de testam.* vbi Ioan. Andr. & Did. Couarru. Corset. *sing. 255. incipiente, pactum, &c.* Verû quicquid cum religione nostra & pietate pugnat, id quoque censendum est cum iure naturali pugnare, & iniustum esse. Oldend. *in elem. introd. iur. de iur. diuin. præcep. 1. §. hinc propagata. vers. rursus hinc sequitur.*

Quapropter turpe & inhonestum videtur, vt magistratus, cuius officio, quantum ad externam politiam, Religionis negotium, vt pars iuris, in primis incumbit, Oldend. *d. loc. de regul. iur. ex præc. 1. alterius,* quam suæ Religionis, in sua iurisdictione exercitium permittat. Vnde & illud consequitur, hæredem tali præcepto defuncti absque vlla pœna contrauenire, cum Deo magis obediendum sit, quam hominibus. Si dominus ea iubet, quæ nõ sunt aduersa Scripturis Sanctis, subiiciatur seruus domino: Si vero contraria præcipit, magis obediat Spiritui,

9
tus, quam corporis domino. Si bonum est, quod præcipit Imperator
& præses, iubentis obsequere voluntati: Si vero malum, responde ei
illud Apostolorum, *obedire oportet Deo magis quam hominibus*: Hoc ipsum
& de seruis intelligamus apud dominos, & de vxoribus apud viros, &
de filiis apud parentes, quod in illis tantum debeant dominis, viris, pa-
rentibus esse subiecti, quæ contra Dei mandata non veniunt. *c. si domi-
nus. 11 q. 3.* Non semper malum est non obedire præcepto. Cum e-
nim dominus (vel alius) iubet ea, quæ sunt contraria Deo, tunc ei o-
bediendum non est. *c. 92. c. 11. q. 3.* Non licet Imperatori vel cuiquam
pietatem custodienti aliquid contra diuina mandata præsumere, nec
quicquam, quod Euangelicis, Propheticis aut Apostolicis regulis ob-
uiet, agere. *c. non licet. 2. dist. 10.* At Paulus Apostolus sollicitè admodum
& grauitè hortatur, vt vnitatem fidei retineamus, quod non faceret,
si libertas indulgeri posset, aut Princeps aliam permittere, quam ipse
profiteretur, & veram putat. *Rom. 16.* Rogo autem vos fratres, inquit, vt
obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam,
quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis, *Gal. 1.* Licet nos aut
Angelus de cælo euangelizet vobis, præter quam quod euangelizau-
mus, Anathema sit. *1. Cor. 1.* Obsecro vos fratres, vt id ipsum dicatis o-
mnes, & non sint in vobis Schismata. *1. Cor. 14.* Non enim est dissensio-
nis Deus, sed pacis *Ephes. 4.* vnus dominus, vna fides, vnum Baptisma.
Hebr. 13. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Martin. Becan.
Ies. in disput. Theolog. de fide hæret. ser. c. 10. vbi exemplis Imperatorum &
Episcoporum, D. Ambrosii maxime & Chrysoctomi probat, aliud ex-
ercitium Religionis, quam veræ permittendum non esse. Facit L.
nullus. C. de sum. Trin. & fid. Cathol. Nullus hæreticis ministeriorum
locus, nulla ad exercendam animi obstinatoris clementiam pateat
occafio. Sciant omnes, etiam si quid speciali quolibet rescripto per-
fraudem elicito ab huiusmodi hominum genere impetratum sit, non
valere. Arceantur cunctorum hæreticorum ab illicitis congregatio-
nibus turbæ, vnius & summi Dei nomen vbique celebretur. Nicæ-
næ fidei dudum à maioribus traditæ, & diuinæ Religionis testimonio,
atque assertionè firmatæ obseruantia semper mansura teneat, &c.

B Et

Et paulo post : Si quid eruptio factiosa tentauerit , ab ipsis etiam vrbium mœnibus exterminato furore propelli iubemus, vt cunctis Orthodoxis Episcopis, qui Nicœnam fidem tenent, Catholicæ Ecclesiæ toto orbe reddantur. Et *L. cuncti C. de heret. & Manich.* Cuncti hæretici procul dubio nouerint omnia sibi loca adimenda esse : cum similibus ibidem. Adde, quod diuersitas Religionis pacem & tranquillitatem politicam, quæ sine vnitæ fidei cōseruari nequit, turbet. Iust. Lipsius in *li. cont. Dialog. de vna relig.* Nam vbi est animorum dissensio, ibi pax esse non potest. Atqui summa est animorum dissensio, vbi sectæ, schismata & discordia doctrinarum sunt. Ergo paci & concordie locus esse non potest. Becan. *d. c. 10.* vbi id inter cætera confirmat exemplo Iudæorum & Israelitarum, qui postquam altare, contra altare, templum contra templum erectum fuit, mox inexpiabili dissidio dissecti & dissociati fuerint. Quod si libertas Religionis, reprobanda, quis credat Principem, Ducem, Marchionem, Comitem testamento antecessoris astringi posse, vt suæ Religionis exercitium in prouincia sua omnino excludatur, alterius vero introducatur, retineatur, & conseruetur.

Quarto, si ante constitutionem de Pace Religionis nonnulli Principes & Status absq; amissione dignitatum & priuilegiorum suorum contra dispositiones maiorum suorum, aliorumque, quibus successerant, in professione vel exercitio Religionis venire potuerunt, certe post illam multo magis licebit negligere ac reiicere conditionem libertati conscientiarum contrariam, cum Lex id nunc expresse liberum cuique relinquat, quod antea specialiter cautum non erat. Prius esse verum apparet ex actis de Religione prioris seculi, & ex ipsa constitutione Pacis Religiosæ. Verum igitur & posterius.

Quinto Pax Religionis constare vix poterit, si eiusmodi conditiones de hoc vel illo exercitio permittendo, introducendo, retinendo, seu propagando valeant. Nā taliter institutus conqueretur, se conscientia ductum non posse istud facere, nec propterea successionem priuandū, sed potius conscientie libertati relinquendum. Id vt assequatur, & successionē delatam sine dicto onere & grauamine adipiscatur, & retineat, omnem mouebit lapidem non propriis solum, sed alienis quo

quoque viribus, vnde tumultus & bella exoriri necesse esset, quibus tamen præcauendis, vt & diffidentia in Imperio tollenda, saluti patriæ expedienda, sopiendis Religionum dissidiis, auerruncandisque malis & calamitatibus publicis, Pax Religionis sancita est, vti ex Constitutione ipsa patet. Quapropter haud inepte colligi videtur, conditione de hoc vel illo Religionis exercitio, vtpote quieti publicæ & saluti patriæ aduersantē, in testamento Principis, Ducis, Marchionis, vel Comitis ab herede scripto necessario attendi aut impleri non debere.

Sexto, negantem hanc sententiam plurimum confirmat vsus & obseruantia, dum videmus eos, quib. ista libertas lege publica data est istius Religionis exercitium in suis territorijs ac locis iurisdictioni suæ subiectis permittere, introducere ac retinere, quam ipsi sequuntur, profitentur & amplectuntur, cuiusuis alterius abolito & prohibito. Sed iuris est haud incerti, consuetudinem ac obseruantiam optimas legum interpretes esse. Actus namq; sequens declarat antecedentem, & secundum sequentem interpretatio fieri debet. *L. si seruus plurium. 50. §. si. D. de leg. 1. L. vtrum 23. D. de pet. hered. Crot. in L. 1. n. 12. D. de acq. poss. Ant. Rub. in L. pen. §. ad crim. n. 171. D. de publ. iud. idque cum primis ita se habet, quo plures actus secuti sunt. Nam maxime ex vsu & obseruantia p̄ plures, quam vnum actum postea secuta, præcedens actus interpretatione recipit. *L. si de interpretatione, L. minime. D. de Leg. c. cum dilect. Ext. de consuet. c. cum veniss. Ext. de inst. Facit tex. in L. item si filiusfam. 7. §. quod dicitur. 13. D. ad SC. Maced. & in l. cum quisquis vers. hoc enim verisimile. C. de nat. lib. Sixtin. cons. Marp. 11. n. 63. vol. 2. Neq; certior vlla præcedentium conuentionum interpretatio, quam quæ ex subsecuta obseruantia colligitur. Textus optimus in L. 2. in verb. licet enim. C. de acq. poss. L. si maior. 4. vbi Dd. C. Com. diuid. Ant. Faber. consult. de Montisf. Duc. p. 1. pag. 41. Vnde namq; melius, quam ex euētu, subsecutaq; obseruatione dignoscere possumus, quæ nam fuerit antea mens & intentio contrahentiū? Textus est perelegans in c. cum veniss. Ext. de inst. l. item si. 7. §. proinde vers. sed si ab initio. D. Ad SC. Maced. L. si qui adult. 34. C. ad L. Iul. de adult. L. hoc leg. 45. de leg. 3. L. Seia 20. §. Tyranna. D. de fund. instr. L. iure nostro. 26. §. vlt. D. de test. tut. L. 3. §. quando autem D. de iur. fisc. Fab. d. p. 1. p. 54. vbi plures allegat.**

Septimo & ultimo in personis Principum, Ducum, Landgrauiorum, Marchionum, Comitum Priscæ Religionis, vel ad Pontificiorum castra transeuntium, specialis consideratio incidere videbitur, quo minus exercitium alterius, quam suæ, Religionis permittere & retinere possint, quia eo casu iurisdictio Ecclesiastica ad ordinarios pertinet, & officii ipsorum iudicatur corruptelas & abusus, siue in moribus, siue in doctrina, post Ecclesiæ declarationem legibus & suppliciis purgare ac tollere, vti asserit Card. Bellarmin. *in respons. ad Apolog. Anglic. pro iuram fidelit. ad ea, quæ obiiciunt cont. epist. Card. Bell.* ita vt modus vel conditio alterius Religionis exercitii permittendi ac retinendi non possit censerî in potestate & arbitrio heredis Romano-Catholici, quo casu defunctus iure testatus non videtur, & dispositio nullius est momenti. *L. 4. D. de hered. instit. L. 4. C. de instit. & subst. L. Lucius Titius. 83. D. de cond. & demonst. L. libertus 29. §. si libertinus, vers. existimo autem. D. de bon. libert.*

Atque hæ sunt præcipuæ, & sane haud leuis momentirationes, quæ negantem sententiam in proposita quæstione de hoc vel illo exercitio Religionis, introducendo, retinendo ac propagando in testamento Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus iniuncto haud parum corroborant, sed contraria affirmatiua opinio melioribus ac firmioribus videtur niti fundamentis.

Regula iuris est, heredem adeundo hereditatem astringere sese ad omnia, quæ defunctus voluit, imo ipsum ius eum obligare ad obseruandam voluntatem defuncti in omnibus articulis & clausulis. §. *heres. I. de oblig. quæ ex quasi contr. oriunt. L. 5. §. heres. D. de oblig. & act. gl. in L. qui filio. §. seruus. D. de hered. inst. Schurf. conf. 50. n. 10. cent. 1.* Alciat. Rebuff. & Gædd. *in L. verba contraxerunt D. de verb. sign.* Et cuius acquiratur ex testamento, debet illud acceptare cum omnibus clausulis & pactis in eo appositis, argumento à contractibus ad vltimas voluntates ducto. *Schurf. conf. 54. n. 4. cent. 2. arg. text. in L. contra iuris. §. si filius. D. de pact. & ibi Bald. per text. ibi, quod ille, cui acquiratur ins ex contractu acceptare contractum cum omnibus clausulis & pactis in eo appositis.* Facit *L. Gaius D. de manum.* Hinc sequitur, si cui Principatus, Ducatus, Marchionatus, Comi-

Comitatus cum conditione seu onere de certo Religionis in Imperio adprobata, exercitio permittendo, retinendo ac conseruando relinquatur, & is relictum acceptet, quod ad eius obseruantiam eo ipso sese obliget, & Statibus ac subditis prouincialibus quasi fidem det de obseruatione voluntatis defuncti, contra quam heres eo minus venire & facere poterit, quod ex Lege publica Imperij nec Pontificii eos, qui Religionem Augustanæ Confessionis sequuntur & amplectuntur, nec hi Pontificios pro hæreticis habere ac nominare possint in foro fori. Et si qui sententiam suam, quamuis falsam atque peruersam, nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia suæ præsumptionis pepererunt, sed à seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum inuenerint, ex sententia D. Hieronymi, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi, *c. dixit Apostolus. 24. q. 3.* certe Pontificij, Laici præsertim & literarum rudes, Iacob. Britan. Rex. *in orat. ad Parlam. Anglic. Anno 1604.* referente Thuan. *lib. 131. p. 1029.* ab ijs, qui Augustanæ Confessionis Religionem profitentur, pro hæreticis haberi nequeunt, multo minus hi ab illis, præsertim cum hi pro cognoscenda veritate ad Propheticas voces, ad Euangelicas auctoritates, ad Apostolicas literas recurrant, quod incidente obscuro aliquo fieri debere idem monet Hieronymus *can. quid autem iniquius. 24. quæst. 3.*

Et si vero non nisi vna Religio vera esse possit, & eam quisque sequi teneatur, quæ vera & Scripturæ Sacræ consona est secundum intellectum, quem sensus Spiritus Sancti flagitat. *c. heresis. d. q. 3.* non tamen protinus omnis spes salutis de ijs omnibus abijcienda, qui alienam profitentur. Hinc videmus, quod vtriusque Religionis defuncti hinc inde beati appellentur & reputentur. Franciscus I. Galliarum Rex Henrico VII. Angliæ Regi, quamuis à Romana Ecclesia alieno, Lutetiæ in maiore vrbis templo, more inter reges recepto, iusta persolui curauit. Thuan. *lib. 3. histor. pag. 53. edit. Francof.* Hinc proxime defunctus Galliarum Rex Henricus IV. Pontificio Oratori dicenti se de salute animæ defunctæ regis sororis periclitantis lugere, re-



spondit, se existimare, Dei gratiam vel in extremo vitæ Spiritu sufficere potuisse, vt illa ad æternæ vitæ gaudia & in beatorum numerum referretur. Idem Thuan. *lib. 132. tom. 3. pag. 1040.* Sic de Imperatore Iouiniano legitur, eum quidem dilexisse & honorasse eos, qui principium Ecclesiasticæ vnitati præberent, nulli tamen alii propter diuersam religionem fuisse molestum. Socrat. *in histor. Eccles. lib. 3. c. 21.* Et sane, cum infidelibus & hæreticis præstanda sit Fides, quanto magis promissio de certo Religionis exercitio, siue expressa ea sit, siue tacita, obseruanda erit? Istud verum fatentur omnes, qui Augustanam Confessionem amplectuntur. De hoc an Romano-Catholici idem sentiant, dubitatio incidit ex concilio Constantiensi *sess. 19.* Sed Iesuitæ queruntur, ipsis, quasi doceant, fidem hæreticis non esse seruandam, summam fieri iniuriam. Post Ioan. Nolanum, Professorem Louanensem, *in tr. de fide hæreticis seruanda,* Becanus, Professor Moguntinus, *in disputatione de fide hæret. seru. vbi cap. 7.* astruit: non facile hæreticis fidem esse promittendam, si tamen promissa sit, seruandam esse, quamquam idem Becan. *cap. 11.* in negotio libertatis Religionis id limitet, si nimirum data sit fides ad euitandum maius malum. Verum eiusmodi distinctiones & limitationes periculosa sunt, & parum veræ, contra prior ista sententia cæteris paribus verbo Dei magis conformis videtur. Sic enim legimus, postquam Israelitæ cum Gabaonitis, ex populis non ferendis in terra promissa secundum expressum Dei mandatum, ipso non consulto, pacem ac fædus fecissent, Principes statuissent fidem datam seruandam, licet aliquo modo dolo inducti fuissent. *Ios. cap. 9.* Quam cum Rex Saul violasset, & Gabaonitas, ex immaturo quodam Zelo pro domo Israel ac Iuda, occidi iussisset, Deus inde grauiter admodum fuit offensus, & violatio ista non aliter expiari potuit, quam occisione & suspensione septem filiorum Saul. *2. Reg. cap. 21.* Etsi vero in casu hoc religio iurisiurandi accesserit, tamen cum Dominus inter iuramentum & loquelam nostram nullam velit esse distantiam, *c. iuramento. 22. quest. 5.* quantum ad fidem promissi seruandam, licet magis peccet iurisiurandi violator propter contemptum nominis

minis diuini. Barclaius *de pot. Pap. in Princ. Christ. cap. 27.* obligatio ex fide data, maxime per principem, tam est iuris diuini, quam naturalis, & non minus tenet hominum mentes & conscientias apud Deum, quam si esset iuramento sustentata: Barcl. *d. lo.* Hinc mortaliter peccare dicitur, qui à pacto seu fide data recedit. Gloss. *in cap. 1. Ext. de pact. Gædd. consil. Marp. 97. numer. 1. volumin. 1.* Pro ut Serenissimo D. Matthiæ Austriæ Archiduci, postmodum ad Imperatoriam dignitatem euecto, attestantibus id Hungaris in literis suis *VIII. Calend. April. Anno 1605.* ad Bohemiæ, Silesiæ ac Morauix Ordines datis, iniustum ac indignum visum fuit, Hungaris adimi Religionis libertatem, Pastoribus summotis, & metu pænarum regno prorsus eliminatis. Thuan. *libr. 133. tom. 3. part. 1075.*

Filius porro, uti apparet ex *cap. 1. An agnat. vel fil. & cap. 1. de cap. qui cur. vend.* repudiata hereditate, feudum consequi & retinere nequit, proindeque immiscendo sese hereditati paternæ voluntatem defuncti de certo Religionis exercitio sequi, & ratam habere tenetur, quod secus est in agnato, qui tamen, si hereditatem defuncti testatoris adiit, & in feudo regali maiori beneficio eiusdem aliquid amplius consecutus est, quam sibi ex Lege debebatur, ad idem obligatur, quia honoratus in testamento potest & onerari. *L. 1. §. sciendum. Leg. si fuerit s. §. 1. Digest. de legatis 3. Petr. Wesemb. conf. 9. num 33.*

De feudis, in quibus iure primogenituræ succeditur, dubitari potest, an in iis filio eiusmodi grauamen, quod certe leue non est, à defuncto iniungi possit, quod illa pro legitima primogenitorum reputentur, per ea, quæ tradunt Tiraq *de iur. primog. quest. 6.* & alii, quos ibidem allegat, ut & *quest. 55. circa fin.* in qua etiam per pœnam priuationis testamento à testatore adiectam effici non potest, ut ea liberis tollatur aut grauetur, sed non obstante tali adiectione pœnæ integram & sine omni grauamine illi legitimam retinent. *Novell. 115. cap. 5.* ubi constitutum est, etsi liberi iussi fuerint certis rebus esse contenti, quod nihilominus tamen ipsis legitima debeatur sine
omni

omnigrauaamine. Regn. Sixtin. *conf. Marp. 19. nu. 49. & seq. vol. 2.* nisi quis dicere velit, propter difficilem separationem allodialium à feudalibus, à filio aut vtrunque respuendum & negligendum, aut conditionem adimplendam esse, & filium etiam in legitima sub conditione potestatiua institui posse, quod etsi ex iure nouo controuertitur, *Vi- gel. in meth. iur. contr. lib. 4. c. 2. exc. 21. repl. 12. vers. Sed & iure nouo.* Sic vt *Dd. communiter* ex eo, quod omne grauaamen, quod filii institutioni adiicitur, pro non adiecto habeatur, *L. omnimodo 30. L. quoniam in prioribus. 32. L. scimus. 35. § cum autem. C. de inoff testam.* sentiant ius vetus immutatum, & conditionem omnem de legitima reijciendam esse. *Iul. Clar. §. testamentum. q. 39. vers. sed quæro. Grass. lib. 2. c. 4. q. 21. Gomes. lib. 1. var. resol. c. 11. n. 29. vers. hodie tamentalis conditio. Menoch. lib. 4. pres. 14. nu. 8. Schrad. lib. 10. sect. 19. n. 226. & seqq.* tamen ea saltem additio conditionis vel modi reijcitur, ex qua filiorum iura imminuta videntur. *d. L. quoniam in prioribus.* vbi *Ferdin. Vasq. n. 224. vers. sed nos semper fuimus in contraria opinione.* Itaque si conditio absque imminutione iurium sibi competentium impleri, & modus obseruari possit, dicendum videtur dispositioni patris de certo Religionis exercitio obtemperandum, maxime si bona mente modus vel conditio adijciatur. arg. *L. filiis matrem. C. d. tit.* Proinde si filius ita institutus non paruerit, à Principatu relicto sum mouebitur, & locum faciet substituto vel sequenti in gradu. arg. *L. suus. 4. D. de hered. inst.* id quod multo magis obtinebit, si pater expresse filium non obtemperantem successionem priuauerit. Si enim rex non seruans testamentum patris dominio temporali priuari potest, *Bald. in proæm. Decret. col. 2.* cum tamen regnum regis successoris legitima reputetur, quanto magis cogi poterit Princeps, Dux, Marchio, vel Comes ad implendum onus à patre sibi iniunctum, vel conditionem seu modum adiectum, aut ad cedendum successionem ei, cui pater in istum euentum iusserit, vel quem successionis ordo tangit.

Quod dictum est de herede immediato, ipsum nempe adeundo hereditatem, vel sese immiscendo obligari ad dispositionem defuncti de certo Religionis exercitio permittendo, retinendo & propagando

gando, hoc non minus in herede eiusdem locum habet, ut ipse etiam eiusmodi voluntati defuncti contrauenire non possit, sed voluntatem eius implere debeat. *Castr. cons. 208. vol. 1. Boer. decis. Burd. 23. n. 20.* Nam & heredis mei heres heres meus est, cum locum heredis subeat, eiusque personam sustineat. *L. hered. appellatio. 65. vbi gl. & Dd. D. de verb. sign. idque vere & proprie, non ficte & improprie, ut volunt Alciat. in d. L. heredis. & Cagnol. in L. qui per successionem. 194. D. de reg. iur. Bald. in L. fin. qu. 21. C. de hered. instit. Iason in l. si quis filium §. fin. n. 7. & in repet. L. filiusfam. §. Diui. n. 110. D. de leg. 1.* Imo quod ita semel per heredem adprobatum fuit, ne quidem etiam per ipsius successorem singularem reuocari aut impugnari potest, sed illud ab eodem obseruari debet, per tradita à Ripa *in L. si aliquam rem. nu. 4. D. de acq. vel amitt. poss. & Grato cons. 37. n. 12. & seq. vol. 1. cons. 42. n. 12. & seq. vol. 2.*

Adprobatur vero testamentum vel vltima voluntas non minus factis, quam verbis, & inter cætera adprobatio ex solutione & præstatione legatorum colligitur. *Crau. cons. 175. nu. 9. Menoch. cons. 238. nu. 39. vol. 3.* adeo ut heres censeatur adprobasse dispositionem testatoris minus validam vel solennem per obseruationem eiusdem præstando legata. *Crauetta cons. 277. n. 1. in fin. cui accedit Tiber. Decian. cons. 55. nu. 37. & cons. 59. n. 15. vol. 3.* vbi dicit, ex tali obseruantia conualidari omnes dispositiones, ita ut non possint amplius in quæstionem deduci, etiam si falsæ forent & nullæ.

Ex his ita deductis satis patet veriolem videri sententiam affirmantem, nimirum Principem Imperij, Ducem, Marchionem, Comitem Prouincialem vel alium sub conditione de certo Religionis exercitio retinendo & conseruando, in testamento defuncti institutum, si relictum Principatum, Ducatum, Marchionatum, Comitatum acceptet, & testamentum tacite vel expresse adprobet, ad obseruantiam eiusdem teneri, & in casu contrauentionis eodem cadere, & hæc veritas magis elucescet, ac confirmabitur ex responsionibus, quæ dari possunt ad rationes in contrarium adductas.

Prima itaque ratio pro negatiua opinione ex Constitutione Pacis religiosæ desumpta inde eneruari potest, quod Constitutio ista

C non

non prohibeat eiusmodi institutiones. Quamuis enim ea cuique Principi, maxime vero Augustanæ Confessionis, liberum relinquat exercitium eius Religionis, quam ipse amplectitur & sequitur, introducendi, constituendi & retinendi, id tamen non impedit, quo minus aliquis Princeps, Dux, Marchio, Comes ab antecessore suo, cuius heres est, conditione de certo exercitio introducendo, retinendo ac propagando, in testamento grauari possit, ad eum effectum, vt nisi conditioni pareat, à successione excludatur. Sic matrimonia debent esse libera. *L. Titia. 134. D. de verb. oblig. d. L. 71. §. 1. in verb. aliud est enim pœna metu matrimonij libertatem auferri. D. de cond. & dem. c. requisit. c. Gemma. Ext. de spons. Geil. lib. 2. obs. 93. n. 1. Sichard. ad L. 1. n. 1. C. de instit. & subst. & tamen conditio illa, si hanc vel illam duxerit, si huic vel illi nupserit, si hanc vel illam non duxerit, si huic vel illi non nupserit, non est contra leges. d. L. 71. §. 1. L. cum ita legatum sit. 63. D. d. t. Peckius de testam. coniug. lib. 1. cap. 3. numer. 3. & 4. nisi aliunde appareat, conditionem istam in fraudem legis adiectam d. L. 63. §. 1. & L. seq. D. e. d. tunc enim dicendum non valere, sed ipso iure rescindi, quod fraudandæ legis gratia esset adscriptum d. L. hoc modo. 64. D. de cond. & demon. Et quamuis nefas sit timore pœnæ adducere aliquem ad contrahendum cum aliqua, fas tamen est præmio ad id eum inducere, relinquendove ei aliquid sub conditione, si ducat aliquam vxorem, vti communis est sententia, quam referunt & sequuntur Couar. in epit. spons. p. 2. cap. 3. §. 3. num. 6. Emanuel Acoſta in L. cum tale. §. si arbitrato. lim. 6. num. 1. D. d. t. Molin. lib. 2. de primog. Hispan. c. 13. Imo etiam si conditio ista, si mulier non nupserit, si vidua manserit, quod libertatem coniugiorum ineundorum impediret, Peck. d. loc. numer. 1. in vniuersum reijcienda visa fuerit. d. L. 63. Leg. 2. C. de ind. vid. toll. Iustinianus tamen iudicans fore summam quandam importunitatem ita defuncti periclitantem voluntatem despiciere, vt mulieri & nubendi & relictum capiendi, & per omnia priorem coniugem seu testatorem contristandi, facultas detur, fanciuit, vt honoratus institutionis titulo vel legato sub conditione, si vxorem non duxerit, si non nupserit, si viduus, vel vidua manserit, electionem
ex duo-*

ex duobus habeat, vtrum ad nuptias venire, & perceptioni renun-
ciare, an, si id non placet, & defunctum honorat, nuptiis prorsus ab-
stinere velit. *Novell. 22. cap. 43. & 44.* Idem sane dicendum videtur de
conditione certi Religionis exercitij, vt ea aut implenda sit ab institu-
to, aut relictum negligendum. Etsi enim ipsi lege permissum sit hu-
ius vel illius Religionis exercitium introducere, vel retinere, non
habet tamen libertatem spreta defuncti voluntate relictum ca-
piendi.

Præterea regula illa *d. L. nemo. D. de leg. 1.* officium suum perdit,
si de re priuata magis, quam publica agatur, vti ad illam notat Dua-
ren. in vers. *nunc accedendum.* & in vers. *dixi locum non esse regula.* Sed
reipublicæ parum aut nihil interest, vtrum Successor Princeps, Dux,
Marchio, Comes exercitium Religionis antecessoris sui, nullo alio
permissio, introducat, retineat & concedat, an vero alterius,
quam ipse sequitur & profitetur, constituat, nisi cum Status Pro-
uinciales & Subditi de iure ex singularibus conuentionibus, de-
functorum Dominorum dispositionibus, aliisue modis quæsito pe-
riclitantur, quo casu, iustitia ita exigente, ipsis subuenien-
dum.

Argumentum à conditione diuortij & iurisiurandi non proce-
dit ad conditionem exercitij Religionis. Nam diuortium est contra
bonos mores, & non nisi certis ex causis conceditur. *d. L. reprehendenda*
C. de inst. & subst. L. consensu. 8. C. de repud. At concedere & permittere
exercitium alterius Religionis, quam à se professæ, non est contra
bonos mores, vt mox sequetur, & rationes, quare Prætor repro-
bauerit conditionem iurisiurandi, non militare in conditione ex-
ercitij Religionis, cuius facile patet, maxime quia potuit is,
qui voluit factum, quod iurisiurandi conditione astringit, sub
conditione faciendi relinquere, ita vt homines aut facientes
admitterentur, aut non facientes conditione deficerentur. *d. L. 8.*
in pr. D. de cond. institut. Adde, quod iurisiurandi conditio edicto
Prætoris expresse remissa & reprobata est, at nihil eiusmodi

de constitutione exercitii religionis vlla lege, sine qua nihil statuen-
dum, sancitum reperitur. Et hoc idem responderi potest ad obiectionem
de prohibita detractioe Trebellianicæ. Nam eam prohiberi
non posse, expressa lege constitutum est.

Acceptationem legati officere petitioni supplementi legitimæ,
pluribus rationibus & autoritatibus ostendit ac deducit *Surd. conf.*
357. n. 32. & seqq. quod, ex quo legatum cum onere adiecto sibi factum
acceptavit, non possit nunc legitimæ supplementum petere, quia o-
nus quoque adiunctum acceptasse videtur *c. officij. Ext. de testam. L. cum*
ab uno. 53. in pr. D. de leg. 2. L. qui tutelam. 28. D. de test. tut. cum qui acce-
ptat relictum, censeatur agnoscere onus annexum & iniunctum. *L.*
Imperator. 70. §. si centum. D. de leg. 2. L. plane. 94. §. si cui Stichus. D. de leg. 1.
Castrens. conf. 193. n. 3. vol. 2. Dec. conf. 299. nu. 13. Alciat. conf. 545. num. 3.
Crauet. conf. 174. n. 9. Bellon. conf. 9. nu. 9. allegati à Surdo consil. 143. num.
10. Eiusmodi enim acceptatio habetur tunc pro renunciatione, quia
agnoscendo filius legatum cum onere, reddit se conformem volun-
tati paternæ. *Paris. conf. 9. nu. 4. vol. 3. Idem videtur tenere Aug. Berous*
conf. 136. nu. 10. & Angel. in L. quod de bonis. §. cum fideicommissum post med.
D. ad L. Falcid. vbi ait, quod filius agnoscens iudicium defuncti sibi
præiudicet in legitima & sibi ipsi imputare debeat, qui cum posset re-
pudiare, voluit acquiescere. *Late Menoch. conf. 206. nu. 95. vsque ad fin.*
& conf. 453. nu. 1. vsque ad 17. vbi concludit filiam, quæ simpliciter pater-
num agnoscit legatum, censi etiam agnouisse onus annexum, pro-
indeque excludi à legitimæ supplemento, quæ sententia inde confir-
matur, quod non sit dubium, quin filia possit adprobare paternum fa-
ctum, etiam circa legitimam. *Text. in d. L. si quando §. generaliter. C. de in-*
off. test. Indefinita vero acceptatio recipit declarationem à verbis le-
gati, sicuti responsio interpretatur secundum interrogationem. *§.*
præterea. l. de inutil. stipul. & rescriptum secundum supplicationem.
Surd. d. conf. 357. n. 34.

Nec dici poterit, quod onus adiectum habeatur pro non scri-
pto, & ipso iure sit à Lege reiectum, ideoque legatum censeatur pro
puro, & consequenter subsequens acceptatio non possit referri ad o-
nus,

nus, quod non extat. Respondetur enim, videri legatarium oneri ac-
 queuiffe, atque illud adprobasse, si non contradixit, sed legatum acce-
 ptavit, eoque casu onus non reiicitur. Calcan. *cons.* 56. *nu.* 18. *vers.* *quin*
imo. *Rimin. cons.* 379. *nu.* 109. & *seq.* Pulchre Menoch. *d. cons.* 206. *n.* 95. &
seq. & *cons.* 453. *nu.* 10. & *seq.* vbi respondet ad fundamenta contrarium
 sententium.

Quemadmodum porro non omnes dispositiones vltimæ vo-
 luntatis de feudo nullæ sunt & inualidæ, prout constat non posse ma-
 sculos succedentes in feudo hereditario factum defuncti improbare.
L. cum à matre. C. de rei vind. L. fin. §. in computatione. C. de iur. delib. L. si ab
eo. 7. C. de lib. caus. vt quamuis feudum tale sit, in quo solus primogenitus
 succedere debeat, is cogendus sit in tali feudo omnia seruare, rataque
 habere, quæ prædecessores gesserunt, vt post Francisc. Curt. Mart.
 Laud. Alexand. & alios quam plures tractat Paris inter consilia Man-
 tux *cons.* 9. *nu.* 88. & 148. Ant. Fab. *in cons. de Mont. Duc. p. 1. pag. 1. 8.* quod,
 teste Schradero *de feud. p. 7. c. 2. nu. 47.* multorum sententia in feudo
 quoque ex pacto & prouidentia obtinet, si successor vasallus heredi-
 tatem defuncti adierit, ita idem, præsertim propter admixtionem al-
 lodialium, statuendum de Principatibus, Ducatibus, Marchio-
 natibus, & Comitatus Imperii, quod & consuetudo confir-
 mat.

Ad secundam rationem contrariæ sententiæ respondetur, non
 esse omnino pugnantia, dare operam & prouidere, vt subiecti veram
 habeant Religionem, reiectis dogmatibus, & cultibus falsis atque i-
 dololatricis, & ipsis permittere Religionis exercitium, quam Prin-
 ceptis pro vera non habet. Ac licet difficile sit alterius Religionis exer-
 citio permisso veram propagare, cum vnus sit Dominus, vna fides, v-
 num baptisma, *Ephes. cap. 4.* non est tamen impossibile, sed potest
 princeps datam fidem seruare, alteriusque Religionis exercitium
 permittere, & nihilo minus precibus ad Deum, bonis exemplis, vitæ
 & morum integritate ac sanctimonia, admonitionibus, aliisue modis
 similibus id agere & procurare, ne subditi à vera Religione declinent,
 sed eam retineant, aut recipiant, Principem namque oportet vera

Religione vtemem non inani specie ac simulatione ficta, sed ardentibus votis ac precibus sempiternum Deum colere, qua quidem ratione subditorum mentes ac voluntates in sui vnius admirationem & imitationem conuertet, & sectarum omnium fibras ac radices amputabit. Bodin. *lib. 4 de R. publ. cap. 7.* Impossibilitas ab obseruatione mandatorum excusat, difficultas non item. Barcl. *d. tr. de pot. Pap. in princ. Christ. c. 22.* Si voluntas prompta est, secundum id, quod habet, accepta est, non secundum id, quod non habet. *2. Cor. 8.* Sufficit principi facere, quantum potest & tenetur. Barcl. *d. lo.* Neq; vero tenetur subiectos ad suam adigere Religionem directe vel indirecte, multo minus fidem de libero exercitio fallere. *Damus*, inquit, Theodoricus Gothorum Rex, *permissum, sed errantium votum laudabiliter improbamus.* In constit. Theod. relatis à Goldasto *tom. 3. Constit. Imper. c. 42 pag. 42.* Si, vt docet D. Augustinus, is, qui continentiam Deo vouerit, nullo modo debet ista compensatione peccare, vt ideo credat vxorem sibi esse ducendam, quia promisit, quæ nuptias eius appetit, futuram se esse Christianam, atque ita acquirat Christo animam in morte infidelitatis positæ fæminæ, quæ parata est, si huic nupserit, fieri Christiana, qua nos apud Deum excusatione vtemur, si vt speratum aliquod bonum eueniat, fidem violemus? Barcl. *d. lo. cap. 30. §. si igitur summus Pontifex. vers. si, vt docet.* Quod si per honorem testatori defuncto, maxime parenti, à successore & herede exhibitum, & obseruationem voluntatis vltimæ, ad quam successor aditione hereditatis sese obligat, spirituale bonum impeditur, dicendum id, quicquid est mali, ex accidente quodam euenire, seu per accidens fieri, cum malum ex bono, & bonum ex malo per se oriri non possit. Barcl. *d. c. 30.* Non licet heredi successoris officium erga defunctum testatorem deserere, & contra fidem expresse vel tacite datam agere, vt bonum inde, quantumuis magnum consequatur, ne eam, quam Apostolus *Rom. 3.* minatur damnationem, sibi acquirat: præsertim cum vtrunque diuini iuris sit, operam dare, vt subiecti in vera Dei, ipsiusque voluntatis agnitione viuant, & à falsis doctrinis cultibusque alieni sint, & seruare fidem iisdem datam maxime id vrgentibus. Quid enim tam congruum fidei huma-

humanæ , quam ea , quæ semel placuerunt , seruare? *Lege 1. D. de pact.*

Sicuti porro sequi , profiteri , amplecti Religionem Augustanæ Confessionis , vel Priscam , non est contra bonos mores , nec pietatem aut existimationem lædit , sed id ex Legge publica cuique liberum est , Bertram. *in dis. 25. de pac. Relig. dat. apud Arumæ. vol. 1. th. 32. & aliquot seq.* & ita , quod lege permittente fit , pœnam vel infamiam non meretur. *L. Gracchus. C. ad L. lul. de adult.* ita idem de permissione vel concessione exercitii Religionis , & quidem multo magis statuendum. Nec hi tantum , qui in ea , in qua nati & educati sunt , Religione persistunt , ab infamia & omni turpitudinis nota alieni censentur , sed etiam ij , qui ab vna ad alteram transeunt , quod quotidie fieri videmus. Quin imo tantum abest , vt mutatio Religionis vllam maculam aspergat , vt etiam Ecclesiastici honore & existimatione illæsa à Prisca Religione recedere possint. *Const. de pac. relig. §. 18. Bnd nach dem.*

Sane quin is , qui contra conscientiam amore relictæ , dignitatum , & diuitiarum , veritatem abnegat , vel eam agnitam metu amittendi relictæ , & perdendarum dignitatum , & diuitiarum non sequitur & amplectitur , pessime faciat , & diuinam maledictionem sibi accersat , nullatenus dubitandum. Verum , quia præsumptio est , neminem adeo salutis suæ immemorem fore , vt facile hoc faciat , & præterea iudex Politicus ex Legibus Imperij pro hac vel illa Religione pronunciare nequeat , Theologi vero de iudice controuersiarum Religionis dissentiant , his Romanam Ecclesiam , vel eius summum potius Pontificem , aliis sacram Scripturam agnoscentibus , conditio huius vel illius Religionis sequendæ , profitendæ vel amplectendæ , in foro politico & Imperij pro turpi , pietati & existimationi contraria haberi ac proinde reiici non potest.

Sic etiam dicendum , si taliter institutus & honoratus externa professione conditioni pareat , id autem vel simulate faciat , vel neutram Religionem curet , sed neque frigidus sit , neque calidus , & plaris faciat , quod sibi relictum est , quam Dei honorem
& ye.

& veritatem cælestem, eum quoque grauius peccare, & Dei offensionem incurrere. Quia vero fieri potest, vt per occasionem eiusmodi conditionis tandem ad agnitionem peccatorum suorum, & veritatis perueniat, si vera sit Religio, quam ad implendam conditionem sequi vel amplecti tenetur, inde fit, vt in incerto, quæ Religio vera sit, quantum ad iudicem Politicum attinet, conditio talis bonis moribus, pietati & existimationi minime contraria ac reiicienda putanda.

Quod si instituto ac honorato per istam conditionem veram fidem sequendi vel amplectendi occasio datur, multo minus pro tali habenda erit, vt nec pro Simoniaca, quia Deus ipsemet inuitat homines ad pietatem promissionibus huius & futuræ vitæ, & institutus atque honoratus nihil dat aut promittit pro vera Religione consequenda vel retinenda, sed ita inuitatus aut inquit in veritatem Religionis, sub cuius conditione institutus vel honoratus est, eamque, si verbo Dei consonam deprehendit, amplectitur, aut si iam veram Religionem profitetur, eam retinet, & vitat occasiones, quibus forsitan à veritate abduciposset. Sed nec testator ita disponendo quippiam contra pietatem, & bonos mores facit, quod, si veram profitetur & sequitur Religionem, non de propria solum, sed de filiorum quoque seu agnatorum & populorum fidei suæ commissorum salute sollicitus, merito in eam curam incumbit, ne filii vel agnati studio forsitan nouitatis, aut ambitione, quæ magna ingenia plerumque exercere solet, vel spe maiorum honorum & commodorum consequendorum à veritate doctrinæ cælestis abducantur, sed vt memores, qua conditione Principatum, Ducatum, Marchionatum vel Comitatum habeant, vel consequi possint, in agnita veritate & fide vera perseuerent, aut si forsitan ab ea iam alieni sint, ad ipsam reducantur, eamque amplectantur.

Qui modus retinendi aliquem in vera Ecclesia, aut ad eam reducendi ac promouendi absurdus videri non debet. Deus enim varie ac mirabiliter fidem, & veram sui agnitionem in cordibus hominum operatur, fouet ac conseruat, adeo vt Paulus in *Epist. ad Philip. c. 1.* teste-

restetur, multos ad Christum fuisse conuersos per prædicationem Euangelij fictam, & minus puram, factam ab iis, qui non animo sincero, sed maleuolo & inuido Euangelij per Paulum prædicati mentionem apud alios fecerunt, non videlicet, vt alios ad recipiendum Christum inuitarent aut allicerent, sed vt hac ratione Paulo maiorem afflictionem adderent, ipsius vincula & captiuitatem aggrauarent, illique maiorem inuidiam apud Cæsarem & totam multitudinem conciliarerent, & alios ab Euangelio deterrerent. Hi contra intentionem suam id effecerunt, vt Christus quam plurimis innotuerit, ab iisque receptus fuerit. Et vt plerumque in rebus humanis, sic etiam in Religionis negotio, præcipue vsu venire cernimus, vt Deus quæ à corrupta & mala nostra voluntate proficiscuntur, ad gloriam suam, & in bonum vertat Thuan. *lib. 1. histor. pag. 5. & 6.* vbi existimat, etsi Hispani potius lucri & prædæ, quam pietatis causa in Americam & Indias profecti sint, tamen non mediocre operæ pretium fuisse, vbi nullas omnino terras credidit esse antiquitas, ibi inter tot gentes antea incognitum Christi nomen, vel perperam audiri & celebrari. Hinc colligitur falsum esse eorum axioma, qui contendunt, veram doctrinam & Ecclesiam non propagari & conseruari posse, nisi per verum ministerium, & per veros ministros, cum tamen Paulus asserat, non semper referre, quomodo isti sint affecti, qui Christum prædicant & annunciant, modo Christus prædicetur. Spiritus Sanctus in sancta Ecclesia etiam isto tempore, quo velut granum cum palea tritatur, sic operatur, vt nullius veram confessionem aspernetur, nullius simulatione fallatur, atque ita reprobos fugiat, vt etiam per eorum ministerium, probos colligat. *c. Spiritus Sanctus. 1. q. 1.* Præterea legimus in historiis multos infideles occasione matrimoniorum ad Christum fuisse conuersos. Sin autem testator sub conditione erroneæ Religionis sequendæ vel amplectendæ heredem instituit & successorem designat, ipsemet imaginatione quadam veritatis & pietatis illusus, *c. hereticus. 24. qu. 3.* quia id bona mente facit, nec vt iniuriam successori faciat: conditioni sane aut parendum, aut, si conscientia melius informata id successori non permittat, relictum negligendum esse videtur, per supra di-

D eta



Qa. Atque ita, conditionem nempe Religionis in testamento institu-
 tioni heredis adijci posse, sentire videntur, vti supra dictum, Scabini
 Magdeburgenses & Professores Iuridicæ Facultatis in Academia Li-
 psensi, cuius institutionis exemplum dari potest in testamento vltimi
 Baronis Fronsbergij, relato in scriptis causæ Maixelrainianæ contra
 Fuggerum: quod locum habere potest in extraneo herede, de filio ve-
 ro id haud æque asserere licebit, maxime quo ad legitimam, vtpote
 quæ absque vllò grauamine debetur. *Auth. nouissima. vbi Dd. C. de inoff.
 test. Geil li. 2. obs. 119. n. 2. Gædd. conf. Marp. 27. n. 156. & seq. vol. 1. & negari
 nequeat conditionem talem maximum continere grauamen. Quin
 imo, si conditione Religionis pater filium grauare posset, posset
 eundem etiam per indirectum, si nollet eam, quam pater iubet, sequi
 vel amplecti, successione debita priuare, cum tamen ob professionem
 vnius vel alterius in Imperio permissæ Religionis ipsum exhæredare
 nequeat. Aleman. d. conf. 10. p. 1. palest. Cran. dissert. de pac. Relig. part. 2.
 prob. 6. connex. 3. & 4. Rummel diff. 6. ad Aur. Bull. p. 3. 10. corol. 1. & quod di-
 recto fieri non licet, nec per indirectum admitti debeat. L. quæ sub con-
 ditione. §. sed si sub iurisiurandi. D. de cond. instit. c. vlt. & ibi gloss. in verb. &
 personalem. Ext. de offic. deleg. Matth. Wesemb. conf. 2. n. 74. vol. 1. nec quod
 vna via alicui prohibetur, ad id alia via admittatur. L. oratio. D. de spons.
 c. cum quid. de reg. iur. in 6. c. 1. de cler. coniug. in 6. Wesemb. d. n. 74. & seq.*

Quia vero in Principatibus, Ducatibus, Marchionatibus, Comi-
 tatibus successio tam agnatis, quam filiis ex prouisione Legis & maio-
 rum debetur, sane haud absurde statuetur, ipsos conditione Religio-
 nis grauari non posse, pro vt quæstio ista grauis admodum, perplexa ac
 difficilis est, concernens conscientiam parentum, filiorum, agnato-
 rum, Statuum prouincialium ac subditorum, ita vt ego iudicium in ista
 aliis relinquere, quam meum interponere malim. Sed argumentum à
 professione Religionis, ad permissionem exercitij, propter magnam
 diuersitatis rationem, minus procedit. Longe enim grauius est, am-
 plecti, profiteri & sequi Religionem, quam quis forte abhorret, & fal-
 sam iudicat, quam eiusdem exercitium permittere & conseruare.
 Hinc videmus Imperatorem & Galliarum Regem hoc non in Impe-
 rio

rio tantum, sed etiam in suis regnis & prouincijs hereditarijs facere & concedere. Sic nusquam legitur de Dauide ipsiusque successoribus, quod populos vicinos, quos subegerant, Idumæos, Ammonitas, Moabitas atque alios ad obseruantiam Legis & Religionis Mosaicæ pertraxerint & coegerint, ac ipsos ab idololatricis suis cultibus abstraxerint & prohibuerint. Quin, Hieronymo teste, *in com. ad Propb. Iere. c. 9.* vti refert Barcl. *lib. 4. de reg. c. 6.* multi eorum circumcidebantur, quamuis legis mandata non obseruarent, sed ignorarent. Sic Theodosius Maior, qui ineunte imperio prouincias omnes Arrianorum plenas reperit, quorum opes ita creuerant sub Arrianis, vt non modo confirmata esset ipsorum doctrina concilijs octo, quæ variis temporibus Tyri, Sardis, Sirmij, Mediolani, Seleucię, Niceę, Tarsis, Arimini coacta fuerunt, & potissimū Synodo Ariminensi, quæ sexcentorū pontificū concordib. animis ac sententijs Arrianorū sectā comprobarat, noluit Arrianos, quos tamē capitaliter oderat, vllis supplicijs coerceri, sed vtrisque Arrianis & Orthodoxis sua templa concessit, & in singulis oppidis duos vtriusq; Religionis Pontifices haberi voluit. Bod. *de Rep. lib. 4. c. 7.*

Ex his pro responsione ad secundam rationem deductis colligitur quoque infirmitas tertię rationis, & patet, non pugnare cum honestate, aut iure naturali ac diuino, si Princeps populis sibi subiectis exercitium alterius, quam suę, Religionis indulgeat ac permittat. Sic nemo prudens dixerit, Imperatorem modernum permittendo eiusmodi exercitium peccare contra honestatem & ius naturale, & promissum seu pactum de libertate eiusdem factum turpe, inhonestum, ac proinde violandum & negligendum esse. Nemo hoc etiam de Galliarum Rege affirmauerit. Si Principes Imperij in Constitutionem de Pace Religionis consentire, eam obseruare, vasallos & ministros alterius, quam suę Religionis salua conscientia habere possunt, cur non possint etiam habere subditos alterius Religionis, ipsisque istius liberum exercitium relinquere? Si Principes Christiani Iudæos hostes & blasphematores Christi & crucis ipsius, ferre, illisque suos cultus libere permittete possunt, cur non possint Principes Pontificij liberum exercitiū Religionis Augustanę confessionis, quæ saltē quo



ad reformationem abusu in doctrina ac disciplina Principibus populisque Christianis diu auideque desideratam à Priscæ differt, aut contra Euangelici exercitium Priscæ Religionis, concedere? cum dubium nullum sit ijs in locis, vbi eiusmodi exercitium viget, quam plurimos esse, qui paleis relictis triticum sectentur, ita vt statuere possimus, multos ex maioribus nostris in Papatu salutem æternam consecutos, & adhuc sub eodem degentes salutem consequi. Etiam ij Principes populi Israel ac Iuda Deo placuisse dicuntur, qui non omnes cultus à Lege Dei alienos, in eaque prohibitos abrogarunt, sed aliquos alios indulserunt, ipsique obseruarunt. *3. Regum. 3. 15. & 22. 4. Reg. 11. 14. 15. in pr. & fin. 2. Paralip. 15. 21 & 28.* Cuilibet quidem magistratui summis viribus eo adnitendum est, vt vna, eaque vera Religio vbi que locorum & ciuitatum dominium obtineat, verum quia id optare potius, quam sperare & obtinere licet, sapientissimi Rerum publicarum moderatores in eo genere nauclerum imitari debent, vt cursum, quo possint, dirigant, non eo, quo velint. *Bodin. lib. 3. de Republ. c. 7. Schönborn. lib. 3. polit. ca. 11. Timpler. 4. pol. 2. q. 2.*

» Theodohadus Rex scribit Imperatori Iustiniano in hæc verba:
 » Cum Diuinitas patiatur multas Religiones esse, nos vnã non debemus imponere. Retinemus enim legisse, voluntarie sacrificandum esse Domino, non cuiusquam cogentis imperio. Quod qui aliter facere tentauerit, euidenter cælestibus iussionibus obuabit. Merito ergo pietas vestra inuitat nos ad talia, quæ nobis præcipiunt mandata,
 » *Goldast. d. tom. 3. const. Imper. pag. 113.*

Licet itaque multi sentiant plures Religiones in vna republica tolerari non posse ac debere, in qua opinione præter allegatum Lipsium ac Becanum, aliosque, maxime vero Iesuitas Bellarminum & Gretserum, Franciscus Burckardus est in libro *de autonomia*, alii tamen rectius contrarium statuunt & affirmant. *Bodin. d. lib. 3. de Republ. c. 7. & li. 4. c. 7. Alber. Gentil. lib. 1. disp. reg. c. 10. Camer. 1. horar. succif. c. 58. Eberhard. à Weihe in problem. reg. pag. 77. & seq. War. ab Ernb. in medit. am. profæder. lib. 1. cap. 2. n. 87. & seq. Schönb. d. lib. 3. c. 3. in fin. Timpler. d. q. 2. & q. 5. d. 10. Assurgit quidem Burckard. d. lib. p. 3. c. 28. & 29. ac passim,*
 quod

quod sit res mali exempli, si Princeps aliam, præter veram, in suo regno admittat Religionem, cum neruus Reipublicæ & pax Ecclesiæ sit vnitas. Sicut etiam Ioann. Begatus Senator Diuionensis, vir doctus, luculenta oratione coram Galliarum Rege habita, & Apologia publice edita, duas Religiones in eodem regno non admitti debere, & vero id ad Dei contumeliam pertinere, nec citra quietis publicæ detrimentum ferri posse, multis rationibus probare conatus est. Thuan. *lib. 36. p. 676.* Sed alii, vt dictum, contrarium sentiunt, prout Begati Apologiae contrario scripto, itidem publice edito responsum testatur. Thuan. *d. lo. & experientia testatur*, non magis turbari Reipublicæ & Ecclesiæ quietem, quam si fides de libero Religionis exercitio rumpatur, & vis conscientis inferatur. In Imperio Romano Germanico optima & tutissima fuit pax, tranquillitas & concordia post constitutionem Pacis Religiosæ inter Proceres, Status & subditos vtriusque Religionis per plures annos, donec turbulenti quidam homines quæstionem de obseruatione ipsius mouere, & praxin eiusdem mutare cæperunt. Gallix Cancellarius Hospitalius in conuentu ad Fanum Germani Anno 1562. mense Februario in oratione, quam Regis nomine habuit, asseruit, multos ciues esse posse, qui non sint Christiani, & eum, qui ab Ecclesiæ gremio remotus est, non desinere esse ciuem, posseque nos pacate viuere cum ijs, qui nobiscum eadem Sacra non colunt. Thuan. *lib. 29. pag. 557.* Suau. Polan. *Histor. Concil. Trident. lib. 6. p. 382.* Diffidia inter Iudæos & Israelitas ex causa regionis potius, quam Religionis exorta leguntur. Optinus Rex Iosaphat, & qui in viis Domini ambulauit, cum impio Rege Achab, qui ab iisdem quam longissime ad omnis generis idololatrias deflexerat, vt & cum filiis eiusdem, arctam coluit amicitiam, ita vt sua cum ipsorum armis coniunxerit, non habita ratione diuersitatis cultuum & Religionis. *Reg. 22. 2. Paralip. 18.* Quæ aduersus hæreticos per Oecumenica concilia damnatos ab Imperatoribus constituta sunt, ea ad eos, qui hanc vel illam Religionem in Imperio permissam amplectuntur & profitentur, minime trahi possunt, nec debent, ex rationibus supra adductis. Non dicam iam, Imperatorem & Status sub iurisiurandi fide obligatos

D 3 esse



esse, vt & vnā & alteram Religionem defendant, etiam armis, *Recessu Imper. de An. 1555. §. Solches alles/te §. Ferner verpflichten.*

Ad quartam rationem negantis opinionis responderi potest, non legi aut reperiri, Euangelicis Principibus & Statibus obiectum fuisse, quod in testamentis parentum vel antecessorum suorum in Principatibus, Ducatibus, Marchionatibus seu Comitatus heredes instituti fuerint in specie sub conditione retinendæ Religionis Priscæ seu Romano-Catholicæ. Quod si maxime vnus vel alter ita institutus fuisset, tamen non obstante eiusmodi dispositione, eo facilius institutus mutare Religionem potuisset, quod verisimile non sit, testatorem exclusam voluisse reformationem, quam fere omnes Christiani istius & prioris seculi, maxime vero Principes & proceres auidissime sitierant, prout testatur Ioan. de Serres *in histor. regn. Franc. sub regno Caroli VII. An. 1454.* præter Ioannem Hussum & Bohemos etiam multos alios fuisse, qui desiderarint reformationem tam in doctrina, quam in moribus. Ita asserit Thuan. *lib. 1. histor. regulam in Concilio Constantiensi factam, vt in caput & membra inquiratur, vbi etiam testatur, Ludouicum XII. Gallorum Regem aureum nummum, qui effigiem suam ex vna parte, & insignia Neapolis ac Siciliæ ex altera referebat, cudisse cum hoc elogio, PER DAM BABYLONIS NOMEN.* Episcopus Parisiensis in Synodo Tridentina dicebat, à centum & quadraginta annis omnes emendationem capitis & membrorum requirere, sed eam hæcenus frustra fuisse. Petr. Suauis Polan, *in histor. Concil. Trid. lib. 6. q. 461.* In Parlamento Parisiensi reperti fuere, qui in Anno 1559. palam & sub Principis oculos dixerunt, curiæ Romanæ mores ac prauos vsus in perniciosissimos errores degenerasse. Thuan. *lib. 22. in edit. Francof. fol. 432.* Guiliel. Occam, qui floruit circa annum Christi 1320. tempore Ludouici Bauari, *in libro de summi Pontificis potestate*, scripsit, istud nimirum esse tempus, de quo Paulus ad Timotheum scripserit, fore; vt homines vera neglecta doctrina, novos quarant magistros, qui seruiant ipsorum auribus, & ad fabulas abducant. Eum esse istius temporis statum, vt plerique omnes, non quæ Christi, quæ Apostolorum, quæ

quæ Patrum doctrina fuerit, inquirent, sed quid Pontifex fieri velit
 atque iubeat, auscultent, referente Sleidano. Itaque testatores prio-
 rum seculorum excludentes omnem Religionem præter Catholi-
 cam putandi sunt cogitasse de hæresibus per Oecumenica concilia,
 & patres Orthodoxos damnatis, quod de Religione Augustanæ
 Confessionis dici non potest, quanquam negari nequeat, si hodie
 dispositio aliqua expresse de Prisca, vel Augustanæ Confessionis
 Religione agat & loquatur, omnem aliam exclusam intelligi. Fa-
 cit, quod melius sit sensum magis, quam verba amplecti, *L. si
 quis 3. §. conditio. vers. sed melius est. D. de adm. legat.* atque ita acci-
 pere voluntatem patris, si non fuit ignarus scilicet eorum, quæ
 prætor comperta habet, *L. utilitatem. 10. D. de conf. tut.* prout et-
 iam, si mens legislatoris aliud vult, receditur ab intellectu, quem
 verba legis habent. *L. scire oportet. 13. §. 2. in verb. sed et si maxime ver-
 ba legis hunc habeant intellectum. D. de excus. tut.* At quia iam ex Lege
 Imperij nec Prisca, nec Augustanæ Confessionis Religio pro
 Schismatica & hæretica haberi potest, & vtraque nota est, con-
 iectura illa de Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus
 testantibus post pacem Religionis capi nequit, quia qui vult ali-
 quem Priscæ Religionis vel Augustanæ Confessionis exercitium re-
 tinere vel introducere, alterius prohibet, si non expresse, saltem ta-
 cite. *arg. L. 63. §. 1. in verb. quæ enim Titio nubere iubetur, ceteris omnibus
 nubere prohibetur, D. de cond. & demon. L. a ligere. 6. §. si patronus. 3. D. de iur.
 patron.*

Quod porro Evangelici Principes & Status relicta & legata ad
 certos vsus Ecclesiasticos ad alios pios vsus transtulerunt, id sibi ex
 certis causis, quas in diuersis conciliis & scriptis relatis ab Horrtledero
*in Actis & Script. de caus. bell. German. lib. 1. cap. 2. c. 35 & c. 37. lib. 4. c. 7. n. 53.
 & seqq. & lib. 5. c. 7.* ac alibi passim videre licet, licere arbitrati sunt, id-
 que postea à Lege Imperij de Pace Religionis adprobatum & confir-
 matum fuit. Sic iure ciuili constitutum est, vt si testator ad rem il-
 licitam legatum reliquerit, in rem aliam conuerti possit ac debeat. *L.
 legatum. 16. D. de usufr. leg. Facit Lex 4. D. de adm. rer. ad ciuit. pertin.*
 vbi

ybi Bartolus ponit exemplum in testatore, qui pro Missis canendis centum legauerat, quæ, si propter interdictum Ecclesiæ Missa non possit celebrari, in alium pium vsum conuerti omnino debeant, quibus cum congruunt ea, quæ tradit Modest. Pistor. *conf. 54. num. ult. vol. 1. Coler. decis. 124.*

Quintæ rationis infirmitas ex supra deductis deprehendi potest, institutum videlicet, qui hereditatem defuncti testatoris adiit, non habere iustam causam negligendi dispositionem de certæ Religionis exercitio, nec statim à legibus & iustitia recedendum est, quando periculum armorum vel tumultus metuitur, multo minus considerandum, si is, qui iniquam fouet causam, data opera ex sua persona scandalum excitare velit, quod Imperatoris & Imperij potestas eo reducta non sit, vt in contumaces & Legum violatores animaduerti nequeat. Adde, quod si mature heredis conatibus successiorem, neglecta voluntate testatoris, sibi vindicare volentis occurratur, tantum procul dubio abfuturum sit, vt alij Principes seu Status ipsi faueant, vt potius sperandum sit, eos memores fidei suæ, qua ad obseruationem Legum publicarum obstricti sunt, pro iustitia & auctoritate Legum atque Imperij tuenda, absque vlllo respectu Religionis, opem laturos, omnesque suas vires aduersus iniquas machinationes contributuros.

Sexta ratio inde infringitur, quod multa fiant ac tolerantur de facto, quæ de iure non subsisterent. Nec puto vnquam in iudicio obtentum, Principem, Ducem, Marchionem, Comitem, subditis ius quæsitum de libero huius vel alterius Religionis exercitio ex testamento prædecessoris, vel ex singularibus conuentionibus adimere, & contra voluntatem ac factum defuncti, cuius heres est, venire posse.

Multa autem extra iudicium per patientiam tolerantur, quæ, si venirent in iudicium, exigente iustitia cassarentur, *c. cum iam dudum. Ext. de præbend. Facult. Iurid. Ingolstadt. inter conf. Henning. Gôden conf. 16. n. 59.* Multis quoque modis contra constitutionem de Pace Religionis, & verum ipsius intellectum hinc inde peccari, plurimorum

rum querelæ in Imperio satis ostendunt. Certe prima praxis & obser-
 uantia eiusdem alium nobis monstrauit ac dedit intellectum, quam
 qui nunc à quibusdam ipsi affingitur, dum multi Principes Pontificij
 tam Ecclesiastici, quam Seculares subditis suis liberum Religionis
 Euangelicæ exercitium iudulserunt. In Euangelicis Principatibus
 non facile plures Religiones repertas, ex Alberico Gentili refert
 Hortled. *d. lib. 7. c. 2. pag. 1238.* Quinimo Principes Germani Cæsari-
 ne id quidem concedere voluerunt, vt Romanæ Religionis exerci-
 tium intra ditionum suarum fines permitteretur vsque ad Concilium
 intra semestre tempus denunciandum, Petr. Suau. Polan. *d. hist. conu.*
Trident lib. 1. pag. 44. quod procul dubio ex his causis factum, quod ab
 initio statim simul tam subditi, quam ipsimet Principes reformatio-
 nem Religionis Romanæ seu Priscæ quam auidissime desiderarunt,
 quodque Euangelici Principes in ea fuerunt opinione, vti videre est
 ex duplic. Ioan. Frider. Elect. Saxon. & Philip. Hass. Landgr. ad Re-
 plic. D. Matth. Held. Legati & Oratoris Imp. Carol. V. apud Hort-
 led. *d. lib. 7. c. 4.* se salua conscientia cultus Pontificios permittere non
 posse, quippe quos censeant esse impios, idololatricos, & cum diui-
 na Lege pugnantes, quod Pontificij de ceremoniis Euangelicis senti-
 re & affirmare non poterunt. Diuersitatem doctrinæ, cum, vt innuit
 præfatus D. Held. in d. replic. vtriusque Religionis confessores non
 nisi per Euangelium saluari possint, ijdem prætere vix debent, ne-
 que aliis inuidere, si reformationem non in disciplina solum ac mori-
 bus, vt nonnulli existimant, & sibi persuaderi patiuntur, verum etiam
 in ipsa doctrina, quod ex votis, querelis, & confessionibus priorum
 temporum, de quibus supra nonnulla, abunde colligitur, multis ge-
 mitibus desideratam, quam ante centum annos promissam Pontifices
 Romani hætenus non restituerunt, per alios introductam sequantur,
 donec legitimo ac libero Concilio definiatur, an in reformatione hæ-
 tenus introducta modus obseruatus, & nihil peccatum sit, nec ne.
 Itaque si Pax Religionis in eo sensu, quem mens statuentium à prima
 ipsius natiuitate per obseruantiam subsequutam dictauit, coleretur,
 minus turbarum & diffidentia in Imperio haberemus, & spes maior
 E foret

foret componendi dissidij ob diuersas Religiones, quæ nunc fere nulla est, ita vt solius Dei benignitate in melius reduci posse videatur. Nic. Bets. *de pact. illust. fam. c. 7. pag. 253.* Proinde operam dare decet Principes & Status Imperij, ne iure ac potestate in suis territorijs mutandæ ac reformandæ Religionis abutantur, & inde sibi imperium in conscientias imaginentur. Fides suadenda, non imperanda est, neque directo, neque per indirectum. Religionem, ait Rex Theodoricus in rescript. apud Goldast. *d. tom. 3. Imperia. Constitut. pag. 42.* imperare non possumus, quia nemo cogitur, vt credat inuitus. Item Constantinus Imperator in rescripto ad Papam apud Goldast. *d. tom. 3. pag. 641.* Inuitare & rogare possumus ad omnem commendationem & vnitatem omnium Christianorum, necessitatem vero inferre nullatenus volumus. Qui sincera intentione extraneos à Christiana religione ad fidem cupiunt rectam perducere, blandimentis, non asperitatibus debent studere, ne quorum mentem reddita ad planum ratio poterat reuocare, pellat procul aduersitas. Nam quicumque aliter agunt, & eos sub hoc velamine à consueta ritus sui volunt cultura suspendere, suis illi magis, quam Dei causis probantur attendere. *cap. qui sincera. dist. 45.* Et noua atque inaudita est prædicatio, quæ verberibus exigit fidem. Episcopi enim pastores facti sunt, non percussores. *cap. 1. d. dist.* Neque enim terrore aut violentia aliquis ad viam veritatis trahendus, & Imperialis clementia nulli penitus necessitatem præcipit imponi, quatenus aut subscribat, aut consentiat, si noluerit, vti habet rescriptum Marciani Imperatoris relatum à Goldast. *d. tom. 3. pag. 604.* cuius integra constitutio habetur inter Epistolas post Concil. Chalcedon. *epist. 2. tom. 2. concil. general.* Hinc Carol. V. Imperator cum Proceribus Imperii in proœmio ad constitutiones criminales de Anno 1532. exhibito per Goldast. *d. tom. 3. pag. 517. & seq.* asserit & statuit, nullam aliam compendiosiore esse viam à fide Christi alienos, aut in auia delapsos in viam reducendi; & ad spontaneum Dei cultum reuocandi, quam si verbo & spiritus potentia hæreses conuincantur, errantes sanabilesque

lesque cum mansuetudine tractentur , minime vero quenquam vi,
 carcere , tormentis , flagris , ferro , fune , flumine , flamma , ad
 colendum Numen , cui non nisi voluntaria mentis nostræ victima,
 & labiorum ac pectoris , non thuris neque hecatombes sacrificium
 probatur , à iudicibus cogendum , vt neminem vnquam pientissi-
 mi Impp. Constantinus Magnus , Iouinianus , Valentinianus &
 alij , quorum exempla Legis vicem præbeant , & eorum vesti-
 gijs insistere laudis opus sit , violenta coactione ad suscipiendam Re-
 ligionem adegerint. Gentile enim ac bestiarum nimis esse , & eo-
 rum , qui homicidam spiritum ductorem & doctorem habent , Re-
 ligionem carnificum taureis & equuleis inculcare malle , quam
 placide sententias conferre , quod Decium , Diocletianum , Ma-
 xentium , Maximinum , Iulianum Parobatem , paganos & Va-
 lentem Arrianum , quos omnes tragicus fere exceperit exitus, de-
 ceat. Quare cum hoc ita multi Orthodoxi Episcopi , & Eccle-
 siæ veræ Catholicæ Doctores sentiant , eum , contra qui sentit,
 non solum nihil , sed impie sentire , credere fas esse. Parlamen-
 tum Parisiense 17. Calend. Nouemb. Anno 1559. ad Regem re-
 scripsit , æquum videri , vt veteris Ecclesiæ vestigijs insistatur,
 quæ non ferro ac flammis in Religione constituenda & propa-
 ganda , sed puriore doctrina & honestis vitæ antistitum exem-
 plis rem confecerit. Thuan. *lib. 16. histor.* Maximilianus II. Im-
 perator dixisse fertur , nullam esse maiorem pestem , quam
 dominari velle conscientijs , eosque , qui hoc conentur facere,
 existimantes se cælum acquisituros , sæpe perdere ea , quæ in
 terris possident. Iean de Serres *libro tertio histor. Francie. in vita
 Henrici III.*

Extat de hoc ipso themate præclarus locus apud Lactantium *l. 5.
 diuin. Instit. c. 28.* quem ob verborum elegantiam , & argumentorum
 pondus integrum huc adscribere non erit operæ dispendium. Sic ve-
 ro Pater ille differit : Non est opus vi & iniuria) quia Religio cogi
 non potest) verbis potius , quam verberibus res agenda est , vt sit vo-

E 2 luntas

„ luntas: distringant aciem oculorum suorum, si ratio eorum vera est,
 „ afferatur, parati sumus audire, si doceant: tacentibus certe nihil cre-
 „ dimus. Imitentur nos, ut rationem totius rei exponant. Hos enim
 „ non illicimus (ut ipsi obiectant) sed docemus, probamus, ostendi-
 „ mus. Itaque nemo à nobis retinetur inuitus, (Inutilis est enim Deo,
 „ qui fide ac deuotione caret) & tamen nemo discedit ipsa veritate re-
 „ tinente. Doceant isti hoc modo, si qua illis fiducia veritatis est: lo-
 „ quantur, discant, audeant, inquam, disputare nobiscum aliquid eius-
 „ modi. Iam profecto ab aniculis, quas contemnunt, & à pueris no-
 „ stratibus error illorum ac stultitia ridebitur. Sciant igitur ex hoc ipso,
 „ quantum intersit inter verum & falsum: quando ipsi, qui sunt elo-
 „ quentes, persuadere non possunt: imperiti ac rudes possunt, quia res
 „ ipsa & veritas loquitur. Quid ergo? Sæuiunt, ut stultitiam suam,
 „ dum minuere volunt, augeant: longe diuersa sunt, carnificina & pie-
 „ tas. Non potest pietas cum vi, aut iustitia cū crudelitate coniungi: sed
 „ merito non audent de rebus quicquam docere diuinis: ne & à nostris
 „ rideantur, & à suis deserantur. Defendenda enim Religio est non oc-
 „ cidendo, sed monendo; non sæuitia, sed patientia, non scelere, sed
 „ fide. Illa enim malorum sunt, hæc bonorum. Et necesse est, bonum
 „ in Religione versari, non malum. Nam si sanguine, si tormentis, si ma-
 „ lo Religionem defendere velis, iam non defendetur illa, sed pollue-
 „ tur & violabitur. Nihil est enim tam voluntarium, quam Religio: in
 „ qua si animus sacrificantis auersus est, iam sublata, iam nulla est. Recta
 „ igitur ratio est, ut Religionem patientia vel morte defendas, in qua fi-
 „ des consecrata & ipsi Deo grata est, & Religioni addit auctoritatem.
 „ Hæc Lactantius.

Adde, quod subditos directo vel per indirectum cogendo Prin-
 cipes purpuræ suæ cultores efficerent, non Dei. *Lips. 4. polit. 4.* Fictos
 „ enim magis, quam veros Catholicos coactio efficit, inquit Augusti-
 „ nus, & populus tandem ad impias Libertinorum & de numine male-
 „ sentientium opiniones vi nimia & magistratus seueritate adigitur,
 „ adempto Religionis, quam probant, cultu, & inculcata eius, à qua ab-
 „ horrent, profitendæ necessitate. Hinc Ioan. Maldonat. *Iesuita cap. 22.*

comment. in Matth. asserit, quod dicit Christus, compelle intrare, non significare, ad fidem cogendos esse homines, sed adeo rogandos, adeo incitandos, ut quodam modo compelli videantur. Hanc sententiam si omnes istius lectæ asseclæ adprobarent, utique abstinere deberent à consiliis Principibus suggerendis de compellendis subditis ad emigrandum, nisi velint Romanam amplecti & profiteri Religionem, cum tamen beneficium emigrandi in fauorem subditorum introductum, & liberrimæ voluntatis, non necessitatis sit. *Frider. de pro ess. lib. 1. c. 39.* *Pet. Syring. in disp. inaug. de pac. Relig. concl. 35. ubi plures allegat.* Facit, quod *Carolus V. Imperator* emigrandi beneficium sine vlla necessitate liberum concessit subditis Principum Euangelicorū. *Recess. Imper. An. 1530.* quod per constitutionem Religionis An. 1555. mutatum non est, ac proinde etiam nunc hodie stare non prohibetur. *arg. L. precipimus. §. fin. C. de appell.* Hoc beneficium æquitatis & æqualitatis ratio stare quoq; iubebit in subditis Euangelicis Principum Romano-Catholicorum. *arg. L. 1. §. 1. D. Quod quis, iur.* Eleganter *Henri. Andr. Crau. in differ. iuridicopol. de constit. Relig. p. 2. prob. 1.* *Quirin Cubach. de constit. Relig. c. 9. apud Arum. in discept. de iur. publ. vol. 2.* Sed non est infrequens dictæ societatis hominibus, ut aliud publice profiteantur, aliud priuatim doceant & factitent, oreue aliud & calamo loquantur ac prodant, aliud vero clauso sub pectore condant. Si compulsionem ad emigrandum incitamentum potius, quam coactionem interpretari velint, vix cuiquam sanæ mentis id persuadebunt, præsertim quando eiusmodi præceptum fit totis oppidis, vicis, pagis aut communitatibus, aut copia emptorum haberi nequit, vel etiam data opera interuertitur ac eripitur, cum obscurum non sit, facultates aut commoditates temporales ceu alterum sanguinem & vitam censerī. *L. aduocati. C. de aduoc. diu. iud. & ibi Bald.* Et dicit *Salicet. in L. admonendi. col. pen. vers. quero an sint. D. de iure iur.* quod pecunia est alter sanguis. Hinc amissio omnium vel maioris partis bonorum morti æquiparatur. *Bart. in L. pen. in fin. D. de cond. ob turp. caus. Blanc. de indic. n. 127.* imo illa quasi maior pæna censetur, quam mors. *Bald. in L. certa forma. in fin. C. de iur. fsc. lib. 10.* *Blanc. d. lo.* Vnde licet offendere aggressorem ad defensionem

nem bonorum, sicut ad defensionem personæ. *gl. in L. ut vim, D. de iust. & iur.* & ibi Iason. Bald. *in L. 3. §. 1. D. de testib.* Si verum est, quod Bellarminus scribit, *in responsione ad Apologiam Anglicanam pro iuramento fidelitatis*, merito dici posse ultimo supplicio propter Religionem affici eos, qui ultimo supplicio afficiuntur propter transgressionem eiusmodi legum, quæ prohibent suscipere Catholicos sacerdotes in domum, prohibent reconciliari cum Catholica Ecclesia, prohibent interesse Sacrificio Missæ, iubent præstari iuramentum de primatu Regis &c. & alia id genus multa, quæ ad Religionem pertinent. Item propter Religionem plecti eos, qui plectuntur, quia sacris ordinibus in transmarinis regionibus initiati sunt, cum in patria eiusmodi sacri ordines non conferantur, quod parum referat ad martyrium, utrum quis occidatur, quia Christianus Catholicus est, an quia legem transgressus, quæ iubet fidem Catholicam abiurare: quanto verius erit ad fidem & Religionem, quam nauseant, cogi subditos, quibus edicitur, ut vel Pontificiam Religionem intra exiguum temporis spatium amplectantur & profiteantur, vel emigrent, siue facultatem habeant vendendi bona sua, quæ exportari plane nequeunt, vel commode non possunt, aut si cogi se non patiantur: propter Religionem plecti, si quod edicto non pareant, carceribus vel mulctis continue premantur, aliisue modis exagitentur, & omnibus bonis exuti fundo ac ditione pellantur, patriaque eliminantur extorres. Ordines Belgij in tractatione Bredana, Anno 1575. ad conditiones pacis à Legatis Hispanis propositas responderunt, se non videre, quo iure ab ijs, qui Evangelicam doctrinam probant & sequuntur, postulari possit, ut aut patria excedant, aut veritatem caelestem, de qua in conscientiis suis certi sint, deserant, vel abnegent.

Septima ratio efficere nequit, quo minus Princeps Priscæ Religionis subditis suis liberum Evangelicæ Religionis exercitium indulgeat, nec id præstare, ut institutus contra dispositionem defuncti testatoris in conscientias eorundem ius sibi ius sumat, Religionem suam ipsis præscribat, ad cultus, à quibus abhorrent, adigat, atque illis imperet, ut, quod verum hætenus atque religiosum habuerant, iam negli-

gligant, auersentur, condemnent; credant ac venerentur, quod respiciunt, aut solum vertant. Ex doctrina namque Romanæ Ecclesiæ illi Ecclesiasticam iurisdictionem non habent, ac proinde ipsis ius reformandi non competit, prout expresse scripsit Cardinalis Bellarminus in *Apolog. pro respons. sua ad lib. Iacob. magn. Britan. Reg. cap. 14. vers. & quidem, &c.* Christum in Euangelio nusquam Principes seculi vicarios suos facere, nusquam illis mandare Euangelij plantationem, vel propagationem. Ita Henricus iunior, Dux Brunswicensis in *repl. aduers. Elect. Saxon. Ioan. Frider. & Hass. Landgr. Philipp.* asseruit, contra Biblicas literas esse, vt Laici attendant ad puritatem vel veritatem fidei & doctrinæ, & ipsimet reforment, vt videre est apud Hortled. *d. lib. 4. cap. 11. pag. 300.* Romani Pontificis Legatus, Cardinalis Campegius, in conuentu Statuum Imperij Norimbergensi Anno 1524. respondit, non esse hominum sæcularium de rebus fidei, aut quomodo ea docenda vel prædicanda sit, statuere. Petr. Suau. in *hist. Conc. Trident. lib. 1. pag. 26.* Proinde si Princeps Laicus Romano Catholicus eiusmodi quid tentet, videbitur aut falcem mittere in alienam messem, aut si id facit ad instantiam Episcopi ordinarij, alienæ libidini inferuire.

Nam posito, posse ac debere Principes corruptelas & abusus, siue in moribus, siue in doctrina, post Ecclesiæ declarationem legibus & supplicijs purgare ac tollere, quod idem Bellarminus asserit in *d. resp. ad Apolog. pro iuram. fidel. ad ea, quæ ob hoc. cont. epist. Cardin. Bellarmin.* iurisdictione tamen Ecclesiastica in Euangelicos suspensa est, & proinde Episcopis, ac ne Romano quidem Pontifici non competit cognitio, vel decisio, vtra intra Priscam & Augustanæ Confessionis Religionem vera sit vel falsa, & vtra magis amplectenda, verum illa ad amicabilem Imperatoris cum Statibus compositionem dilata est ac pertinet. *Recess. Imper. de Anno 1555. §. Damit auch obberürte. ibi. soll die Geistliche iurisdiction. Frid. d. libro primo de process. cap. 29. in prin. numero primo & sexto vers. hinc valde impudens illud.* & quia iurisdictione Ecclesiastica suspensa, ad temporalem deueniri nequit, cum hoc non fiat
prius

prius, quam censura Ecclesiastica præcesserint, quippe quæ tum demum incipiat, quando hæc desinunt Rosacorb. *pract. for. c. 30. nn. 10. & seq.* Ecclesiastici itaque Romanenses Euangelicam Religionem, vt falsam & hæreticam, ad eum effectum damnare nequeunt, vt Princeps subditis suis imperare possit, vt eam deserant ac Romanam amplectantur, aut cum dispendio facultatum suarum emigrent, & si id facere tentant, & Princeps ad ipsorum declarationem vel etiam petitionem per mandata & alios modos executiuos procedit, videtur in se suscipere ministerium alienæ iniquitatis. Quod si iudicio obtineretur, conditionem aut onus eiusmodi adscribi non potuisse, cuius tamen contrarium hæcenus demonstratum, forte impertiendo ipsis brachium seculare ad exercendam iurisdictionem Ecclesiasticam, excusationem mereri posset. Verum quando absque præuia iudiciali cognitione ad nudam petitionem Episcoporum, vel etiam motu proprio & zelo immaturo, testamento defuncti, à quo successionem habet, imo etiam propriæ promissioni & obligationi, si hæreditatem adiit, contrauenit, neque in foro fori, neque in foro poli excusabilis censetur. Hinc apparet, quanto peius, & quam peruerse atque impie agant officiales, qui, quod forsitan Domini ipsi non audent, audacter suscipiunt, dum subditos varie exagitando ad credendum id, cui ne ipsi quidem, qui ita cogunt, crastina forte luce steterint, compellunt, & si id tam facile assequi non possunt, eos absque vlllo respectu ætatis & conditionis grauibis iniuriis afficiunt, atque etiam carceribus mancipant: quod Princeps Romano-Catholicus eo minus ferre, aut conueniendo permittere debet, quod exercitium Euangelicæ Religionis, vt supra demonstratum, salua conscientia concedere possit, nec causas habeat illam adeo abhorrendi. Cardinalis Matthæus Langius, Archiepiscopus Salisburgensis ingenue apud omnes fuit professus, Missæ reformationem videri sibi honestam, libertatem quibusuis cibis vescendi, esse naturæ conuenientem, imo postulationem eam, vt homines Christiani humanorum mandatorum onere liberentur, iustam & æquam esse. Petr. Suauis Polan. *d. histor. conc. Trident. lib. 1.* Quod vero idem addidit, tolerabile non esse, vt misellus Monachus omnes refor-

reformat, id parum rationis habet, quasi multum intersit, per quem ex verbo Dei errores & vitia monstrantur & detegantur, iisque ita ostensis & cognitissimis non omnes, maxime vero Principes veritatem doctrinae caelestis, & reformationem emendationemque vitae & morum, ipsimet suscipere, amplecti, sequi & pro viribus procurare teneantur. Iosias Rex è tenebris productus & per scribam lecto libro Legis omni cura incubuit, ut ea abrogatis falsis & idololatricis cultibus observaretur. *4. Reg. 22. & 2. Paralip. 34.* Ita legimus unius Paphnutij Thebaici Confessoris interuentu in Concilio Nicæno contra multos defensum esse coniugium sacerdotum, quem tamen, quod à Maximino tyranno in crudelissima illa Christianorum persecutione oculo altero orbatus esset, & præterea etiam poplite fracto mutilatus & claudus, conditione admodum humili fuisse apparet, quod nisi hic sese opposuisset, tota Synodus tot patrum & sanctorum Episcoporum, quorum 328. fuisse scribitur, manifesto errore sacerdotibus contra Scripturæ sanctæ apertissimam sententiam usum legitimi coniugij interdixissent, quemadmodum Sozomenus *lib. 1. histor. cap. 25.* refert. Dictum Hieronymi fuit prælatum toti Concilio super causa matrimonij contrahendi interruptam & raptorem. *Abb. Panorm. ad c. significasti col. 2. n. 3. Ext. de Elect.*

Comes Palatinus Rheni Otto Henricus Elector in testamento suo, ex quo omnibus Electoribus extractus missus & communicatus, rogauit Coelectores suos Ecclesiasticos, quia pro singulari sua prudentia agnoscant, multos idololatricos, perniciosos, ac cum diuino verbo pugnantes abusus in Ecclesiam Romanam irrepsisse, qui nulla ratione aut colore defendi queant, ut ad Dei gloriam, salutem propriam, & Germanicæ Nationis commodum Christianam ac piam reformationem procurarent, ne ad minimum, si ipsimet Augustanam Confessionem amplecti nollent, cursum verbi diuini impedirent, & sese maximo seu grauissimo peccato contra propriam conscientiam contaminarent. Has preces cum pia exhortatione coniunctas absque effectu non fuisse, euentus docuit, dum aliqui ex Electoribus & aliis Principibus Ecclesiasticis Confessionem dictam adprobarunt & acce-

F pta-

ptarunt, alij plures abusus in diæcesibus suis sustulerunt & abrogarunt, alij subditis suis exercitium Euangelicæ Religionis, aut ad minimum libertatem conscientiarum indulserunt ac permiserunt.

Oratores Cæsarei in Concilio Tridentino petierunt decerni, sanctiones Prælatorum obligationi iuris diuini non comparandas; item Breuiaria & Missalia purganda, rescandaque omnia, quæ non ex diuinis sumpta essent Literis. Petr. Suau Polan. *in d. hist. Conc. Trid. lib. 6 p. 417.* Quid vero obtinuerunt hac petitione? Nihil, idque ex ea præcipue ratione, quod nulla reformatio institui possit, quæ obuentiones Ecclesiasticas & auctoritatem sedis Romanæ, (ad cuius conseruationem omnia fere consilia in d. Concilio & in Aula Romana directæ fuere, vt passim videre licet in *d. hist. Conc. Trid.*) non insigniter diminutum eat. *d. hist. lib. 1. pag. 19. item pag. 24. pag. 33.* Quin imo fuere, qui in dicto Concilio sentiebant, non reperiri homines attentiores ad deuitandas Legis diuinæ, quam Ecclesiæ sanctionum præuaricationes. De quadragesima rite seruanda præceptum minus violari, quam mandata Decalogi: neque esse credibile, si à Deo fuisset præscriptum, vt in festo resurrectionis Dominicæ vnusquisque apud sacerdotem peccata confiteretur, & ad sacram communionem accederet, plures, quam nunc, cænæ Dominicæ communicaturos. Vt Missa solenni more & habitu celebretur, legem esse Ecclesiasticam, sed quam nemo infringat. Qui pænalibus Canonum sanctionibus minus obsequens sit, multo facilius extra officij viam abiturum, vbi nullus à temporalibus, sed à sola iustitia diuina metus: sedem Apostolicam & Aulam Romanam vnicum esse ordinis Ecclesiastici decus & ornamentum. Hæc si abijciatur & deprimatur, de Ecclesiæ existimatione vbique locorum plurimum decessurum. Refert. Petr. Suau. *in d. hist. lib. 6. p. 408.* Et sane populum in Papatu magis ad obseruandas traditiones humanas, quàm ad veram pietatem sanctitatemq; colendam & sectandam institui & occupari, res ipsa testatur. Quanto zelo, quanto ardore, quanta deuotione fiunt preces pro defunctis, vt animæ ipsorum è purgatorio liberentur, ita vt nonnullis in locis nocturnis temporibus dormientes pulsatis ianuis aut valuis, & magnis clamoribus ad eas excitentur, quarum tamen nec mandatum nec exemplum in sacris Literis reperitur, &

quarum

quarum ex ipsa doctrina Romana, si probe consideretur, fere nullus sperari potest effectus? Nam uti traditur in Canisij Catechismo, in purgatorio minutiora saltem peccata remittuntur. Hoc si populus intelligeret & sciret, nunquam sane tantum tribueret elemosynis, missis & precibus pro defunctis, sed sollicitior foret pro consequenda remissione peccatorum non minorum tantum, sed grauiorum quoque, dum vitalis spiritus hoc permittit, cum dubiū nullum esse possit, quin si Christiani fideles, dum viuunt, preces suas coniungerent pro dimissione delictorum pœnitentiam agendo ab ijs sibi, quantum imbecillitas humana patitur, cauerent & abstinerent, ac eleemosynis dandis alijsq; bonis operibus studerent, animabus suis melius sint consulturi. Quis enim credat, Deum, qui grauiora peccata remisit, propter minutiora ignibus purgatorijs animas defunctorum torquere, donec sacrificiis Missæ, & precibus viuorum inde liberentur? Non habet ergo causam Princeps Romano Catholicus, cur male affectus sit erga subditos, & male tractet eos, qui neglectis eiusmodi doctrinis & traditionibus, quæ ad corradendas opes pro Ecclesiasticis faciunt, remedia Deū placandi & pœnas peccatorum æternas ac temporales effugiendi in verbo Dei tradita solícite quærunt & sectantur. Quantum enim inter Deum & homines est discriminis, tantum etiam inter diuina præcepta & traditiones humanas fieri oportet. *Erasm. Roterod. in paraph. sua ad Marc. Euang. c. 7. ubi paulo post hæc verba subiicit: præpostera pietas est, & irreligiosa religio superstitiosum esse in obseruandis his, quæ maiores ex suo animo tradiderint, & ea negligere, quæ præcipit Deus.* Aulæ Gallicæ conueniens fuit visum, ut Dominici corporis festum ad pompā solummodo institutū aboleretur, quod Regina Catharina ad Pontificem ex consilio, uti credebatur, Io. Monlucij Episcopi Valētini scripsit *d. hist. li. 5. p. 366. Thuā. l. 28. p. 536.* quod idem etiam sensit Cassander *in consultatione sua ad Imperatorem Maximilianum II.* Istud vero hodie maiori feruore celebratur, quam ante hac, quasi sit de substantia Religionis Christianæ. Magno studio & multis rationibus Imp. Ferdin. I. ut & filius Maximilianus. II. Rex Gallie, Carolus IX. cum matre Regina Catharina, & Præsulibus Gallie, & Albertus Bauariæ Dux, ut & alij apud Pontificem & Concilium Tridentinum per legatos & literas flagitarunt communionem

Sacramenti altaris sub vtraque specie, quæ verbo Dei & praxi primiti-
 uæ Ecclesiæ conformis, quodque homines pij, eruditi ac Catholici
 maiorem à fidelibus gratiam vtriusque speciei communionem, quam
 vna sola participata obtineri sentiant; permissionem coniugiorum
 sacerdotalium, quod castum matrimonium contaminato cœlibatui,
 scortationibus & adulteriis anteferendum; celebrationem sacrorum
 in linguis vernaculis pro Laicis ad meliorem intelligentiam, & alia,
 maxime vero reformationem Curia Romanæ, (vt pote ex qua omnes
 abusus manauerint) & Ecclesiasticorum, vti passim videre licet in *d.*
histor. Concil. Trident. verum iustis istis petitionibus, licet Pontifex ipse
 Pius IV. vsum calicis Laicis concedi posse existimauerit, Petr. Suau.
d. lib. 5. p. 373. licet multis præsulibus in ipso Concilio celebre illud di-
 ctum Papæ Pij. 2. de quo Platina & Sabellicus attestantur, Petr. Suau.
d. histor. lib. 7. p. 549. in ore fuerit; Ab Ecclesia Occidentali optimo iu-
 re olim ademptum sacerdotibus coniugium, sed nunc meliori resti-
 tuendum: licet successor eiusdem Paul. II. constituerit sacerdotes re-
 mittere in libertatem matrimonij præuentus per apoplexiam. Iean de
 Serres in *d. Inuent. histor. Franc. sub fin. reg. Ludou. XI.* licet Papa Hadria-
 nus VI. per legatum suum Cheregatum in conuentu Norimbergensi
 Anno 1522. libere confessus fuerit, totum Ecclesiæ corpus à capite ad
 calcem infectum, & emendatione egere, quam ipsemet serio, vt cre-
 debatur promisit. Petr. Suau. *d. histor. lib. 1. p. 20.* Sleidan. *lib. 4. in princ.*
 quod & successores nonnulli verbis tamen saltem fecerunt, ne hilum
 quidem effecerunt, adeo vt Oratorum Imperatoris, Regum ac Prin-
 cipum verba in dicto Concilio auribus saltem accepta fuerint. *d. hi-*
stor. lib. 6. p. 429. & Lansacus Orator Gallus Legatis Pontificis dixerit,
 se nullum vnquam postulatum suum ab ipsis impetrare potuisse, o-
 mnia à se proposita spreta contemptaque *d. lib. 6. p. 453.* & rursus cum
 Collegis non sine doloris significatione ipsis commemorauerit, per
 vndecim tunc menses, ex quo primum Tridentum venerint, ab ad-
 uentu suo ad eum vsque diem, se Gallia miseras exposuisse, & pericu-
 la Christiani nominis ob Religionis dissidia. Ostendisse, remedium
 summe necessarium & præcipuum esse, accurratam & plenam refor-
 matio.

mationem morum, & in legibus positivis nonnullorum moderatio-
nem. Spem bonam sibi semper factam, & verba adhibita satis beni-
gna, sed nihil quicquam effectum, reformationem, quantum fieri pos-
sit, fugitari, patrum & Theologorum plerosque duriores, quam vn-
quam & magis seueros *d. histor. Con. Trid. lib. 7. p. 555.* Idem Regi suo
per literas significarunt, decretissimum esse Synodo nihil audire,
quod compendio vel autoritati curiæ Romanæ possit officere. *d. lib.*
6. p. 441. Rex Galliæ ipsemet ad Oratores suos scripsit, quod ab omni-
bus dicatur, aut omitti aut leuiter tractari, quicquid ad mores & disci-
plinam pertinet, dogmata vero Religionis controuersa nimis præci-
pitanter decerni. *d. lib. 6. p. 474.* Præsules Hispani in literis suis ex
Concilio ad Regem suum datis conquesti fuerunt, concilio non con-
stare libertatem, Italis numero superioribus, atque ex his aliis pensio-
nibus, aliis promissis, qui minus corrupti, metu ad Pontificis nutum
adductis. *d. lib. 6. p. 448.* Ioannes Suarez Episcopus Conimbricensis i-
psemet in Concilio fassus fuit, reformatione ita procedente, sicuti
cepit, Patres Catholicis indignationem, Protestantibus ludibrium
præbituros. Episcopus Parisiensis dicebat, à centum & quinquaginta
annis omnes emendationem capitis & membrorum requirere, eam
hactenus frustra fuisse. *d. lib. 6. p. 461.* Cum postulatum de usu calicis &
coniugio concedendo prebyteris Pontifex Pius IV. ad Concilium
Tridentinum, & hoc idem rursus ad Pontificem remisisset, atque ita
non tam Imperatorij & Regij Oratores, quam ipsemet Imperator &
Reges ludificarentur, *d. lib. 6. Conc. Trid. p. 469.* Ferdinandus I. Impera-
tor à filio Carolo Archiduce moderni Imperatoris patre, & Bauariæ
Duce Alberto monitus per literas Viennæ. 16. Cal. Mart. ad Pontifi-
cem datas, cum Albertus Dux Non. Febr. ad eundem itidem scripsis-
set, concessionem istam denuo sollicitauit, vt & post obitum ipsius fi-
lius Maximilianus II. sed nihil impetrari potuit. *d. histor. lib. 8. pag. 665.*
Thuan. lib. 36. in fin. Ita maior fuit cura conseruandæ autoritatis Pon-
tificiæ & Ecclesiasticæ, quam promouendæ salutis populi Christiani,
adeo vt quidam ex Patribus in dicto Concilio senserint, matrimo-
nium presbyteris concedere, non esse aliud, quam Hierarchiam Ec-
clesia-

clesiasticam destruere, & Pontificem redigere ad Romæ solius Episcopatum, quod inde cessatura sit arcta illa ordinis Clericalis cum sede Apostolica coniunctio *d. li. 7. hist. Conc. Trid. p. 549.* Et ipsemet Pontifex Pius IV. considerabat, et si relaxare præcepta Ecclesiastica, quæ ad ritus pertinent, veluti communionem calicis, calibatam presbyterorum usum linguæ Latinæ, videantur quidem primo aspectu auctoritati Pontificiæ non derogare, nihilominus ex istis ritibus quouis vno mutato, subruui continuo fundamenta prorsus omnia Ecclesiæ Romanæ. *d. hist. Conc. Trid. lib. 7 p. 557.*

Ex his aliisque actis & consiliis, quæ dictum Concilium præcesserunt, in eo agitata, illudq; subsecuta fuere, intelligitur, non esse, quod decreta eiusdē (quod Carolus Molinæus Gallus magni nominis Ictus illud multas ob causas nullum, vitio indictum, habitum & terminatū in consultatione publici iuris facta demonstravit, Thuan. *lib. 36. p. 676.* Principem Romano-Catholicum ad expellendos, aut minus tolerandos subditos Euangelicæ Religionis mouere debeāt, ac proinde haud absq; ratione vanitati adscriptum, quod Cardinalis Lotharingus, qui Concilio Tridentino interfuit, & omnem eius processum probe cognouit, hac sese excusatione tueretur, cum diceret, antea quidem cū Germanis Protestantibus sensisse, sed postquam quæstiones, quæ controuertebantur, Concilio Tridentino decisæ essent, illius decretis acquiescisse. *d. lib. 6. Concil. Trident. p. 90. Thuan. lib. 28. p. 542.* Tantum abest, vt in isto reformatio auidissime & diutissime eo vsque desiderata quin & promissa, decreta & constituta fuerit, vt errores & abusus per & post illud potius confirmati & aucti conspiciantur. Elector Moguntinus Sebastianus in Synodo prouinciali Anno 1549. ca. 41. & 42. statuit, imagines non ad adorationem, aut ad cultum iis deferendum in templis proponi, sed ad ea tantum in memoriam reuocanda, quæ adorari oportet. Quod si ad imaginem aliquam populus confluat, cui homines opinionem quandam diuinitatis tribuant, eam hoc casu inde auferendam, aut aliam diuersæ magnitudinis in eius locum reponendam, ne populus inducat animum credere, Deum & Sanctos supplicum votis annuere per imaginis illius solummodo intercessio-

cessionem. Capite 25. de dogmatis fidei d. Synodi asseritur, cælitates esse quidem honorandos, sed ciuili & dilectionis cultu, non secus atque viros sanctos in hac vita suo merito colimus, nisi quod sanctis beatitudinem adeptis cultum magis religiosum tribuamus, utpote in statu magis tranquillo constitutis. *lib. 3. d. concil. Trident. p. 240.*

Hæc si quis expendat diligentius, facile apparebit, quanto interuallo opiniones præsulorum Catholicorum Germaniæ eius seculi à Curia Romanæ dogmatis dissideant, & à positionibus, postquam Concilium Tridentinum obtinuit, vsu quotidiano stabilitis. *d. lib. 3. pag. 240.* Hodie idem cultus imaginibus adscribitur & tribuitur, qui prototypo. Bellarm. 7. *contr. gener. tom. 1. lib. 2. de imagin. sanct. c. 21. pag. 22.* ubi pro primo sententiam siue propositionem statuit, imagines Christi & Sanctorum venerandas esse non solum per accidens, sed etiam per se & proprie, ita ut ipsæ terminent venerationem, ut in se considerantur, & non solum, ut vicem gerunt exemplaris, quod repugnat vulgatis versiculis; *Effigiem Christi, qui transis, semper honora. Non tamen effigiem, sed quem designat, adora;* Sed nunc effigiei Christus cultus λατρείας & adorationis exhibetur, qui eiusdem carni, seu Christo homini nouiter à Doctoribus & Theologis Pontificiis, Iesuitis maxime, negatur, contra hymnum; *Adoro te in cruce vulneratum.* Christus vero vulneratus est in carne. Ergo adoratur etiam in carne, & qua homo. Hinc Epiphanius ait; *Adoro humanitatem quia Deitati unita.* Eant igitur, qui gloriantur de conformitate doctrinæ ac Religionis modernæ Ecclesiæ Romanæ cum fide ac Religione Ecclesiæ primitiuæ & Apostolicæ, & videant, quomodo hoc suum dogma cum S. Scriptura & sententiis antiquorum Theologorum concilient, doceantque, cum Scholastici & alij sanctis δαλείαν, Virgini vero Mariæ, matri Christi, ὑπερδαλείαν, ascripserint quemnam & qualem cultum carni Christi seu homini Christo illi attribuerint. Bellarm. *d. tom. 1. de Eccles. triumph. lib. 1. c. 12. pag. 75.* humanitati Christi inter sanctas creaturas, si seorsim consideretur, ratione excellentiæ propter unionem ad verbū ὑπερδαλείαν assignat, sed nullos ex antiquis patrib. pro ea sententia alleg. Galliæ Regiæ Catharinæ viduæ iussu ex Valétini & Sagien.

Sagiensis Episcoporum, vt & Theologorum nonnullorum consilio in consultatione de imaginum vsu Anno 1562. mense Martio Germani Fano sequentia capita proposita fuere; ne imaginibus coronæ, serata, vestes imponantur: ne thura incendantur: ne candelæ accendantur, in supplicationibus minime gestentur: ne vota & oblationes ad ea fiant, aut genu flexo colantur; & quia hæc omnia pars adorationis sunt, ex altaribus, excepto sacræ Crucis signo, prorsus tollantur, & in parietibus, aut pro valuis templorum statuuntur, ita vt deinceps neque salutentur, nec osculo impresso votisue aut donariis colantur. Thuan. *lib. 29. p. 558.* Quid vero eorum hodie in Papatu non fit in contrarium, vt de aliis eiusmodi putatiuis cultibus, abusibus ac erroribus nihil dicatur.

Dolendum itaque potius ac deplorandum in Concilio Tridentino maiorem rationem habitam autoritatis & commodorum sedis Romanæ, quam repurgandorum errorum & vitiorum longa consuetudine, vt Principes Germaniæ tam Ecclesiastici, quam seculares, tam ij, qui Luthero fauebant, quam qui ab ipso alieniores erant in scripto Nuncio Pontificio Anno 1522. Norimbergæ exhibito asseruerunt, inueteratorum, quam quod ex decretis ipsius profitenti Religionem Augustanæ Confessionis vllum præiudicium aut periculum creari debeat. Rex Galliarum Franciscus I. per Legatum suum apud Concilium Tridentinum conquestus fuit, quod Pontifex illud coegerit eo tempore, quo coniunctis cum Cæsare copiis ipsum bello oppugnabat, ne videlicet Gallicæ Ecclesiæ præfules eo conuenire possent, quorum salutaribus sententiis ac consiliis tam in caput, quam in membra diligentissime inquireretur, quæ corrupto vsu in Ecclesiam irrepserunt, emendarentur, & emendatis iis, quæ in doctrina ac moribus corrupta sunt, publica Ecclesiæ concordia sanciretur. Thuan. *lib. 8. p. 155.* Carolus V. Imperator Philippo Hassiæ Landgrauio Spiræ
 „ dixit; Non ea mente se concilium cogi curasse, vt cuiquam ex Augu-
 „ stanæ confessionis sociis vis fiat, quicquid tandem in eo decretum sit,
 „ sed cum de Ecclesiæ causa agatur, vt patres, si quid in doctrina & dis-
 „ ciplina peccatum sit, emendent, atque ipsi in se suosque mores se-
 uere

vere inquirant , referente Thuan. d. lib. 1. pag. 29. & Sleidano lib. 17. histor.

Faure porro, non odio dignam Religionem modo dictæ Confessionis, vel hinc colligi potest, quod multi sunt sub Papatu, qui pro salute animarum suarum consequenda ad præcipuum istius fundamentum, nempe passionem ac meritum Seruatoris nostri I E S V C H R I S T I, spretis & neglectis aliis mediis recurrunt. Sic, referente Thuanolib. 21. p. 402. sæpe dictus Carol. V. Imp. cum animaduertèret tempus mortis suæ appropinquare, toto pectore in Deum reuolutus sic ratiocinabatur, se quidem indignū esse, qui proprijs meritis regnum cælorum obtineret, sed Christum Dominum Deum suum, qui illud duplici iure obtineat & patris hereditate & passionis merito, altero contentum esse, alterum sibi donare, ex cuius dono illud sibi merito vindicet, hacque fiducia fretus minime confundatur, neque enim oleum misericordiæ nisi in vase fiduciæ poni, hanc hominis fiduciam esse à se deficientis, & innitentis Domino suo, alioqui proprijs meritis fidere, non fidei, sed perfidiæ esse, peccata remitti per Dei indulgentiam, ideoque credere nos debere, peccata deleri non posse, nisi ab eo, cui soli peccauimus, & in quem peccatum non cadit, per quem solum peccata nobis condonantur. Itaque in C H R I S T O solo se omnem salutis suæ spem collocare declarauit, sumptoque viatico, *In me mane*, inquit, *dulcissime Saluator, ut ego in te maneam*: in quæ verba deficiens animam gloriosissima hic vita defunctam Deo, qui dederat illam, reddidit. Idem lib. 79. testatur Ducem Andium, Galliarum Regis Henrici III. fratrem, magna constantia, quippe præmeditata diu ante morte, & summa pietatis significatione, cum omnem spem in Crucis merito, & effusione sanguinis I E S V C H R I S T I collocare se intendidem repeteret, ad Deum migrasse. Ipsemet Thuanus in testamento suo Anno 1616. condito profiteretur se in fide viua, non mortua in animo suo impressa, adiuncta æternæ vitæ spe, (quæ in eo consistat, vt credamus in Deum, & quem misit filium dilectissimum, Verbum æternum ante secula genitum, I E S V M C H R I S T V M, qui conceptus de Spiritu Sancto in vtero beatissimæ virginis Mariæ carnem in

G

seculo



sæculo sumpsit, in ea natus, passus, mortuus, & sepultus est, in ea resur-
 rexit, ascendit in cœlum captiuam ducens captiuitatem, & inde lar-
 gissima dona hominibus distribuit, pro consummatione promissorum
 misso Spiritu Sancto à Patre Filioque procedente,) viuere, & vt in ea
 ad vltimum vitæ spiritum constanter sine hæsitatione perseueret, as-
 fidais, quantum possit, precibus ac lachrymis à Deo contendere, im-
 mensamque ipsius clementiam orare & obtestari, vt se in peccatis &
 iniquitatibus conceptum ab humanæ infirmitatis pollutionibus re-
 purget, dignumque ex indigno per misericordiam suam efficiat, in
 quo tanquam in templo suo habitare dignetur; sibi que passionis filij
 dilectissimi I E S V C H R I S T I, meritum ad expiationem peccato-
 rum applicet, vt cum nouissima vitæ hora non improuisa venerit, ab
 Angelis in sinum Abrahæ raptus cum sanctis & electis æterna felicitate
 perfruatur. Hæ confessiones cum doctrina Augustanæ Confessio-
 nis pulchre consentiunt, nec dubium est, quin multi ante Lutherum
 in hac fide mortui salui facti fuerint, & etiamnum multi, qui sub Papa-
 tu viuunt, in eadem morientes saluentur. Ferdinandus I. auus
 moderni Imperatoris Ferdinandi II. in literis ad D. Lutherum Oe-
 niponte Anno 1537. exaratis, quorum copiam Goldastus in tom. 3.
Constitut. Imperial pag. 561. exhibet, testatur, animum suum regium ipsi
 antea parum propitium, per Confessarium suum & alios, vt & per le-
 ctionem librorum eiusdem Lutheri de veritate ipsius doctrinæ melius
 edoctum, mitigatum esse & eo impulsam vt doctrinam istam, quate-
 nus Lutherus diuinæ & Biblicæ scripturæ constanter insistat, nec
 quicquam seditiosum vel Christo dissentaneum doceat, æquo a-
 nimo tolerare possit, quod experiatur, Papam eiusque asseclas ha-
 tenus quæsiuisse, quæ sua sunt, hominibusque paleas pro tritico præ-
 buisse & venditasse. Quo animo filius Maximilianus II. tam post,
 quam ante Concilium Tridentinum erga reformatam Religionem
 fuerit, notius est, quam vt multis referre necesse sit, adeo vt
 Pontifex Pius IV. ipsum inde Lutheranismi, vel tanquam fau-
 torem eiusdem suspectum habuerit. *d. histor. Concil. Trident. lib. 5.
 pag. 346.* prout eiusdem assertionem, se animæ suæ salutem rebus
 omni-

omnibus mundanis habere chariorem, multi aulæ Romanæ man-
cipēs dicebant esse idioma Lutherānorum, quod alienationem ab
obedientia istius Sedis implicet. *d. lib. 5. Concil. Trident. pag. 349.* Ho-
spitalius Galliæ Cancellarius in colloquio Possiacensi, Anno 1561.
Regis nomine proposuit, Pontificios erga Protestantes alieno adeo
animo esse non debere, quippe qui fratres sint, & eodem lauacro rege-
nerati eundem CHRISTVM cum ipsis colant. Thuan. *lib. 28.*
pag. 538.

Ex hætenus deductis proculdubio satis colligi potest, Princi-
pem, maxime qui Principatum, Ducatum, Comitatum vel Marchio-
natum totum vel ex parte non Legis, sed defuncti beneficio habet,
conditione, modo, vel onere huius vel illius Religionis exercitij
retinendi, relinquendi, vel introducendi grauari posse, & ad ob-
seruationem ac adimpletionem eiusmodi voluntatis defuncti, cu-
ius heres est, teneri, eamque salua conscientia obseruare & adimple-
re posse.

Supereſt, vt dicatur aliquid de remediis, quibus substitutis, co-
heredibus, aut etiam hæredibus ab intestato, Statibus denique pro-
uincialibus ac subditis consulatur & succurratur.

Optimum sane fuerit, si institutus tempore obitus testatoris
iam diuersam ab ipso profiteretur Religionem, vel metuatur ne mu-
tet, vt ab illo cautio de implemento conditionis vel modi exigatur.
argument. L. inter omnes. 12. D. Qui satisfd. cog. iuncta gloss. ibidem in verb.
hereditate. D. Qui satisfd. cog. L. 4. C. vt in poss. leg. antequam ad successio-
nem & possessionem admittatur, ipsique homagium à Statibus &
subditis præstetur, quæ cautio exigere potest per executores testamenti,
si qui dati fuerint, vel per eos, quibus in casum conditionis deficien-
tis successio competit, vel etiam per ipsos Status & subditos. argum.
L. quidam 96. §. penult. D. de leg. 1. L. sed et si plures. vbi las. D. d. tit. Qui
satisfd. d. L. 4. vbi Castrens. & Salic. C. vt in poss. leg. Cuiac. in Parat.
ibid. & in Parat. D. vt leg. seu fideicom. seruandi cau. vt & Wesembec. numer.
2. 3. 4. & 5.

Si vero absque eiusmodi cautione ad possessionem venit, here-

G 2 dita-

ditatem tamen adiit, ipsique à Statibus & subditis homagium saltem sub conditione relinquendi exercitii Religionis, quam profitentur, præstitum sit, hoc vero ille postea tollat & abroget, perinde habetur, ac si ad possessionem nunquam peruenisset: cum conditio nihil ponat in esse, nisi adimpleatur, & paria sint, nihil fieri, & fieri sub conditione, quæ non fuerit purificata. *L. qui heredi. L. Mavius 55. & t. t. L. si quis sub conditione. D. si quis omis. caus. test. L. filiusfam. 114. §. cum quis. D. de leg. 1. L. pecuniam, quam D. si cert. pet. L. necessario. 18. §. quod si pendente. D. de per. & com. rei vend. Crauet. conf. 15. n. 3. Cephal. conf. 369. n. 46. & conf. 419. n. 59. lib. 3. Alexand. conf. 24. vol. 3. Guid. Papæ decis. 599. Geil. lib. 2. obs. 132. n. 3. & duob. seqq. Ant. Tessaur. dec. 96. num. 4. & possessiones sub conditione tradi possint, sicut res sub conditione traduntur. *L. qui absenti. 38. §. si quis possessionem. D. de acq. poss. vbi Bart.* Hinc sequitur, in casu contraventionis instituti substitutum, vt & coheredem vel heredem ab intestato, cui tunc successio competit, autoritate propria, vel etiam executorum ad possessionem accedere, ipsamque adprehendere posse, quia quilibet heres & successor occupare vacantem successionem & possessionem, & res eius singulas potest non tantum decreto iudicis, verum propria quoque autoritate, vt late persequitur Matth. Wesemb. *conf. 1. n. 53. p. 1.* etiam manu armata. Bart & alij in *L. fin. nu. 16. C. de ed. D. Adr. toll.* Si enim nullus hereditatem possideat, non opus est heredi aliqua actione, cum eam vacantem & iacentem ipse pro arbitrio & autoritate sua occupare queat. Bald. in *d. L. fin. n. 3.* Tiraq. in *tract. le mort saisit. Le vis. in 8. declar. pres. n. 1.* Wesemb. in *Par. D. Quor. bon. in fin.* Potest tamen iudicis officium implorari ad associandum brachium in adipiscenda possessione, per ea, quæ tradunt Bart. in *L. cum domini horreorum n. 5. D. Locat. Alex. conf. 130. n. 3. lib. 4.**

Ex his haud inepte colligitur, Status quoque prouinciales & subditos isto casu iuramento subiectionis, quod sub conditione tacita vel expressa præstiterunt, solutos, & instituto aliud exercitium introducere conanti ad obedientiam non teneri, imo per vim id tentanti vi ac armis resistere posse. Arg. *L. vt vim. D. de iust. & iur. vbi Dd.* maxime si verum est quod Iesuita Maldonatus scribit, in *comment. in Euang. Luc. cap.*

cap. 9. nullam belli iustiore[m] causam esse posse, quam ut Religionis
 possessio defendatur, nullam rem aut tam iniustis armis propagari,
 aut tam iustis defendi posse. Etsi enim verior censenda sententia, Sta-
 tibus & subditis fas non esse Principem turbantem ipsos in exercitio
 suæ Religionis, vel id eis prohibentem, aut alias in Ecclesia grassan-
 tem sub hoc prætextu remouere, à legitima successione arcere, vel
 eum opprimere. Andr. Cran. in disput. iuridicopol. part. 2. probl. 5. Late
 Barcl. in tract. contra Monarchomachos, passim, sed ipsis potius ad preces,
 lachrymas & vitæ emendationem confugiendum, cum hæc sint arma
 Christianorum: potero dolere, inquit Ambrosius, potero flere, pote-
 ro gemere, aduersus arma & Gothos milites, lachrymæ meæ mea ar-
 ma & munimenta sunt, aliter nec debeo, nec possim resistere. c. conue-
 nior. 23. q. 8. id tamen potissimum locum habere videtur in subditis
 Principi simpliciter subiectis, non vero ijs, qui sub conditione certa
 homagium præstiterunt: quod hi ad defensionem iuris, animarum,
 corporum & bonorum resistere posse videantur. Quir. Cubach. disc.
 35. iurispr. Germ. publ. apud Arum. vol. 2. c. 23. nu. 30. ex Albert. Gentili. 1.
 disp. reg. 3. Soto de iust. & iur. lib. 5. q. 1. art. 3. Vasq. illustr. contron. lib. 1. c.
 8. Adde, quod ex sententia Zoanetti de defens. p. 5. n. 14. 45. & 55. officia-
 les debeant omnibus modis magistratui suo notorie iniusta facienti
 contraque Leges fundamentales quid præcipienti resistere & nequa-
 quam obedire, alioqui neque magistratibus, neque illis fore inultum.
 Et in Camera Imperiali Spirensi, recepta est sententia, quod magistra-
 tui de facto contra ius procedenti, cui libet, etiam priuato, liceat resi-
 stere, præsertim si damnum fuerit irreparabile. Hinc Baptista Fick-
 lerus asserit, nullam Principi fieri iniuriam, si ad officium compella-
 tur, vbi nullus amplius rationi supersit locus, vltius aduersus eum
 fieri debere progressum, vt vel priores conditiones ratas habeat, eas-
 que deinceps obseruet, vel alteri locum cedat, qui de obseruatione le-
 gum vel conditionum magis sit sollicitus, quippe transgredientem
 notorie officium suum agere veluti priuatum, adeo vt ei impune non
 pateatur, sed licite resisti possit. Adde Ioan. Muter de pacif. Relig. qu. 10.
 disc. 11. apud Arum. vol. 2. Hinc Ordines regni Sueciæ occasionem sum-

psulerunt singulari decreto Sigismundo Poloniae Regi regiam dignitatem in Suecia abrogandi, quod contra aui voluntatem, & in regni Comitibus promulgatas leges Religionem in Suecia mutare, & libertates ac regni priuilegia labefactare, atque munitiones nouas extruere conatus esset, quod factum Anno 1604. Thuan. lib. 131. tom. 3. pag. 1035. & seq. ita ut Sigismundus iam ultra 20. annos regno Sueciae exclusus maneat.

Quia vero facile in Dei ordinationem peccatur, & damnatio acquiritur, quando subditi iniquae potestati aequam, ut illis videtur, pro Religione, pro corpore, pro salute, pro fortunis defensionem armis munitam opponunt, & semper via iuris, quam facti tutior est, si per eam ad eundem finem perueniri potest, ideo videndum quoque, quae remedia iuris in hoc casu competant, & dicendum, substituto melius consuli haud posse, quam per remedium adipiscendae possessionis ex L. fin. C. de edict. D. Adr. toll. Nam cum hoc beneficium Imperator Iustinianus heredibus institutis tribuat, nullum dubium, quin etiam substitutis competat, quia & substituti post euentum conditionis dicuntur proprie instituti heredes, id quod probatur ex L. heredis appellatio 65. & L. sciendum. 70. D. de verb. signif. Menoch. de adip. poss. rem. 4. nu. 208. Hinc substitutus dicitur directo heres institutus. L. cohæredi 41. §. qui discretas. D. de vulg. & pup. substit. & in pr. 1. eod. Heredes enim aut instituti, aut substituti dicuntur. L. 1. D. d. tit. Heredis quoque appellatione substitutum ex sermone proprietate venire affirmarunt Alexand. cons. 36. lib. 3. Corn. cons. 175. col. 3. lib. 3. Et concedi hoc beneficium substituto tradiderunt, gl. in d. L. fi. in verb. ex parte. in fin. Bart. ibid. num. 10. Alexand. n. 20. Iason. n. 12. Decian. n. 26. Zuchard. n. 227. Tiraq. in d. tract. Le mort saisit le vi. p. 2. declar. 9. n. 17. vbi plures idem sentientes refert, quod intelligendum, cum casus substitutionis euenit. Menoch. d. rem. 4. n. 212.

Si itaque in Ducatibus, Comitibus & similibus Imperij feudis maioribus sub conditione certi exercitij Religionis institutus conditioni non paruerit, sed eidem contrauenerit, nulla subest dubitatio casum substitutionis euenisse, ac proinde substitutum prolato testamento

mento

mento per ipsum, aut per executores in possessionem mittendum, nec institutum legitimum contradictorem esse, per rationes supra adductas, & quod ipsius possessio vitiosa sit, ac proinde ei nihil proficit, quemadmodum & in simili de vitioso titulo scribit Bart. in *L. siue autem. §. si duobus D. de Publ. in rem act.* & cum eo Ruin. *conf. 13. numer. 8. conf. 17. numer. 4. conf. 25. num. 3. & conf. 49. n. 11. lib. 4.* Menoch. *d. rem. 4. n. 603.* nec etiam eundem audiendum, si prætendat, testatorem conditionem de exercitio Religionis apponere non potuisse, quia hæc exceptio, ut ex superioribus patet, altioris est indaginis. Sic non impeditur missio in possessionem, si de viribus testamenti quæstio mouetur, vel etiam ambigitur. Gl. ordin. & communiter omnes Scribentes in *L. qui falsum & L. heres institutus. D. de acq. hered.* allegantes textum optimum in *L. 2. C. de edict. D. Adrian. toll. Roman. conf. 235. num. 4.* Curt. iun. in *d. L. fin. n. 81.* Menoch. *d. rem. 4. n. 698.* ut & si obijciatur, testatorem non potuisse testari, Dec. *conf. 84. col. 2. vers. ad ista breuiter.* Curt. in *d. l. fin. ad si.* Zuchard. *ibid. n. 322. in fin.* Durant. *de art. test. tit. de acq. vel rep. hered. caut. vlt. numer. 5.* Bald. *conf. 311. vol. 2.* Idem erit, si institutus ius proprium, & non ex testamento prætendat. Facit *L. 2. C. d. t. & qua tradit* Zuchard. *d. lo. nu. 373.* post Bart. & Alexand. quos recenset Menoch. *d. rem. 4. nu. 562.* Dispositio namque testatoris in feudo hoc operatur, ut heres etiam incapax feudi à vasallo testatore institutus possit petere & impetrare ex beneficio *d. L. fin.* missionem in possessionem non tantum bonorum allodialium, sed etiam feudalium, adeo ut eam agnati vasalli nullo modo impedire queant, sed ab hoc herede in possessionem missio feudum tandem petere debeant. Schrad. *de feud. p. 7. cap. 2. numer. 40.* vbi id pluribus autoritatibus confirmat.

Sed quis erit iudex competens, & adeundus. Ordinatio Cameræ Imperialis part. 2. tit. 7. cognitionem de Ducatibus, & Maioribus Imperii feudis Imperatori tribuit ac reseruat, quod non tantum in petitorio, verum etiam in possessorio locum habere videtur, per ea, quæ tradit idem Schrad. *p. 10. sect. 1. ampl. 22. n. 27. & seqq. maxime,* quod causa possessionis & proprietatis regulariter coram eodē iudice

iudice tractari debeat. *L. nulli. 10. & ibi Dd. C. de iudic.* Verum Thomas Michael *in disput. de iurisd. th. 28. Lit. B.* sentit, istud reseruatum saltem locum habere in petitorio, non etiam in possessorio, quod euincunt verba, *genslich vnd endtlich*. Faciunt notat. Ferrar *in form. libel. quo agit. ad reuoc. feud. gl. 8. n. 71. in fin.* Sic Dd. communiter volunt causam spiritualem in possessorio nudo ac mero per secularem iudicem agitari ac decidi posse, *in c. si Extra. de iudic. Geil. lib. 1. obs. 38. Amed. à Ponte in tr. Quis sit iud. in caus. feudal. n. 84. & multis seqq.* Quapropter Camera Imperialis pro decernenda dicta missione adiri quoque poterit, vt & vacante Imperio Electores Palatinus Rheni & Saxo, qui exercitium vniuersalis iurisdictionis tunc habent. *c. 5. Aur. Bull. Car. IV. de iur. Comit. Palat. & Duc. Saxon.* Nam etsi nonnulli statuunt, Vicarios Imperij durante interregno de feudis Principum; quæ vulgo *Fahren Lehen* appellantur, nihil decernere posse. *Schrad. d. p. 10. sect. 3. q. 12. & sect. 4. q. 13. declar. 1.* cuius contrarium asserit *Johannes von Langen in disput. inaug. de iur. publ. preside D. Crauio*, ex ea procul dubio ratione, quod in *d. lo. Aur. Bull.* Imperatori tantum reseruatae sint inuestituræ dictorum feudorum, non etiam cognitio vel decisio controuersiarum super iisdem ortarum, quia inuestitiones istæ magna cum solennitate ac maiestate fieri solent, quod idem etiam sentit *Quirin. Cubach. Iurispr. Germ. pub. c. 30. n. 16.* negantium tamen sententia in possessorio nullo modo locum habere potest, quia multa inde sequerentur absurda, & perniciosus scandalis ac turbis occasio præberetur, si nullus in interregno esset iudex, qui de controuersis super possessione feudorum regalium maiorum incidentibus cognosceret, illasque dirimeret, aut auxilium ad adipiscendam, retinendam, conseruandam vel recuperandam possessionem petentibus tribueret, quod substituto iustam causam præbere posset, possessionem propria autoritate adprehendendi & arma capescendi. Licet enim sibi ipsi ius dicere, cum magistratus autoritate non succurritur. *L. 1. & 2. C. Quand. unic. sin. iud. se vind. Dec. in L. qui iurisdictioni. n. 12. D. de iurisd. omn. iud. Menoch. rem. 1. de adip. poss. num. 312. & seqq.*

Si itaque per qualem qualem petitionem, in scripto tamen substitu-

stitutus ostenderit, Ducem, Marchionem, vel Comitem condito testamento decessisse, in eoque sub conditione certi exercitij Religionis, filium, fratrem vel agnatum successorem ac heredem designasse atque instituisse, seque in casum contrauentionis seu non adimplentionis substituisse, institutum vero conditionem non adimplere, sed ei potius contrauenire, ac proinde casum substitutionis euenisse, ideoque se petere, vt in possessionem immittatur, & instituto mandetur, vt Ducatum vel Comitatum relictum dimittat, ipsi remotis ambagibus, nec auditis exceptionibus altiore indagine requirentibus succurrendum erit, per ea, quæ tradit Menoch. *d. rem. 4. nu. 485. & passim.* Exceptiones enim proprietatem concernentes, & altiore indagine requirentes non impediunt executionem, reseruanturque examinandæ ac probandæ, quando de proprietate agetur, id quod regulariter seruatur in quocunque summario iudicio. *L. ille à quo. 13. §. si de testamento. D. Ad SC. Trebell. L. si is, à quo 3. D. vt in poss. legat. L. 3. §. ibidem. D. Ad exhib. gl. in L. 2. verb. quamuis. C. de edict. D. Adr. roll. Molin. lib. 3. de primog. Hispan. c. 13. n. 15. & d. tom. 3. de iust. & iur. p. 1. disp. 637. n. 4.*

Sed obijciat institutus, sibi ex hac missione damnum irreparabile oriri posse, maxime si relictus Principatus habeat fortalitia, aut castra vel oppida bene munita, aut quæ facile muniri possint, cum difficile admodum sit ista postea iterum consequi & recuperare, si in causa petitorij sententiam pro instituto ferri contingat, quo casu domini & proprietatis exceptio locum habere, & petitorium cum possessorio definiendum videtur, per tradita à Menoch. *d. rem. 4. n. 863. & nu. 886. Idem de recup. poss. rem. 1. n. 308. alijsque ab ipso ibidem, vt & à Rosenthal. de fend. c. 9. conclus. 57. Lit. F. allegatis, maxime quando causa apud Imperatorem agitur. Alciat. resp. 256. n. 6. qui in ea procedere potest ac debet omni solemnitate iudiciaria reiecta, præsertim si id à parte petitum fuerit. Bald. in L. 1. C. vt qua des. aduoc. Felin. in c. pastoralis. 23. de offic. deleg. quo fit, vt non sola causa possessorij, sed petitorij & possessorij simul definiri debeat Dec. cons. 449. num. 21. Rub. cons. 4. numer. 12. Crau. cons. 259. col. penult. vers. quarto respondeo. Neuizan. cons. 97. numer. 12.*

H

Verum

Verum quia hæc sententia de processibus coram Imperatore in dubium ab alijs vocatur, vt à Menoch. *in 2. resp. caus. Finariens. art. 3. n. 6. in fin.* nec in Camera vel aula Imperiali obseruatur, imo Imperator ipse in Capitulatione sua se astringit, quod neminem ex Statibus Imperij iudicio legitimo se offerentem grauare velit, & præterea à Dd. statuitur, etiam in causa spolij, si causa coram supremo iudice agitaretur, restitutionem locorum quoque munitissimorum faciendam Iacob. à S. Georgio *in L. si Diui. D. de re iud. Zas. in L. naturaliter. §. nihil commune. n. 60. D. de acq. poss. Gozad. cons. 1. in fi. & cons. 7. n. 22. n. 100. li. 1. Boer. q. 238. col. pen. Menoch. d. rem. 1. de rec. poss. n. 314.* ideo hoc in casu, de quo agitur, missio in possessionem, eiusque executio propter exceptionem dominij, aliamue altiorem indaginem requirentem deneganda & retardanda non erit, maxime si à substituto cautio de facienda restitutione præstaretur *Faciunt c. 1. de dol. & contum. L. si fideiussor. §. vit. D. Qui sat. cog. & tradita per Abbat. in c. veniens. el. 2. col. 2. de testib. Zas. in d. §. nihil commune. n. 60. vers. secundo non. Grat. resp. 10. n. 31. Boer. d. q. 238. col. ult.* Nec vero putandum Imperatorem cum Statibus Imperij vires non habituram ad exequendam sententiam in petitorio. Hoc enim si metuendum esset, verendum idem quoque substituto, ac proinde is causam haberet possessionem non implorato magistratus officio & auxilio, vel eo implorato, sed denegato vel retardato, propria autoritate, & suis, amicorumque suorum viribus capiendi. Sic Menochio *d. nu. 13.* æquum videtur, licere spoliato castrum occupare, cum sese offert occasio, præsertim si animaduertit, quod etsi adeat iudicem, non possit sibi esse succursum, vel quia iudex sit ad exequendam postmodum sententiam impotens, vel simili alia ex causa. Nam cum duo sint genera decertandi, vnum per disceptationem, alterum per vim, confugiendum ad posterius, si vti non licet priori. Cicero *lib. 1. offic.* Hinc Rex Theodoricus ait, veniendum tunc ad arma, cum locum apud aduersarium iustitia non potest reperire. Cassiod. *3. varior. 17.* Sic Augustinus *lib. 4. de ciuitate Dei.* Iniquitas partis, inquit, aduersæ iusta ingerit bella. Et in specie, quod si quis rem testamento vel alia vltima voluntate relictam per viam iuris consequi non possit, liceat eam sine peccato

cato qualicumque machinatione ad se pertrahere, tradunt Bald. in *L. 1. n. 5.* & ibi Iason. *n. 8. C. de test.* Idem Iason in *L. cum quis. C. de iur. & fact.* & in *§. furtum. 1. de obl. & action.* Bart. in *L. nemo potest. numer. 18. D. de leg. 1.* Borcholt. *cons. 15 p. 1.*

Quæ hætenus de substituto dicta sunt, ea in cohærede quoque locum habebunt, cui pars instituti heredis conditionem nõ adimplentis accrescit, quod is, qui venit per ius accrescendi, veniat, tanquam substitutus. *L. si Titio & Mauro. 61. §. ultim. D. de leg. 2.* Bald. in *d. L. fin. numer. 38. vers. idem in eo.* Zuchard. *ibid. num. 195. ad fin.* Iason in *L. quam liberis. §. hæc verba. colum. ultim. D. de vulg. & pup. subst.* tanquam scriptus heres caractere literarum. *L. si in testamento 5. & ibi Aret. numer. 2. D. eod.* Hæres ab intestato vel successor, ad quem feudi regalis successio tunc pertinet, habebit remedium *Quorum bonorum*, si non directum saltem utile. *t. t. D. & C. Quorum bonorum, Menoch. d. rem. 4. numer. 56. 64. & seqq.* Et quia remedia possessoria petitoriis salubriora sunt, *L. is qui destinavit. 24. D. de R. V. L. ordinarij C. eod. L. incerti. C. de interd. Vult. volum. 2. cons. Marp. 29 num. 196.* semper consultum erit ei, cui successio in casu contraventionis vel non adimplentionis competit, eiusmodi aliquo remedio uti, aut ad possessionem propria autoritate ingredi, quia optima est via, per quam quid citissime obtineri potest. Sixtin. *cons. 18. n. 53. d. vol. 2.*

Status porro prouinciales & subditi, si substitutus vel coheres, siue alius, cui ius succedendi tunc competit, ius suum negligat, aut talis non existat, possunt adire & monere executores, si qui dati sunt, ad faciendum officium suum, ad quod semel facta eiusdem acceptatione compelluntur. *Alexand. cons. 4. numer. 16. & seq. lib. 2. Cardin. Tusch. concl. 541. n. 5. Lit. E. & seq. n. 7.* vel si nullus executor datus sit, aut dati officio suo desint, Statibus & subditis ad petitionem ipsorum succurrendum quoque ex Constitutione Pacis Religiosæ per mandata de restituendo, vel non turbando ac offendendo. Nam in persona Actoris nõ consideratur, vtrum is immediate vel mediate Imperio ubiectus sit, vti ex Symphoremate Gylmanni hinc inde patet. *Quir. Cub. de const. Relig. c. 1. n. 11.* Quid enim iniquius, quam subditum Religionis causa

à magistratu suo durius habitum, ac in summas angustias coniectum, celeri iuris auxilio destitui, & potentiorum libidini ac iniuriæ exponi: contra L. 6. §. 2. D. de offic. præf. & contra Recessum de Anno 1546. Wir wollen. ibi, Ob jemand were/ der wider solchen Religion, vnd gemeinen Frieden beschwäret were/ &c. Petr. Syring. in disput. inaug. de Pac. Relig. th. 55. Subditos quoque sub Pacis religiosæ beneficio contineri, eamque per singulos magistratus suis subditis ad concordiam, tranquillitatem, securitatem, conscientiaque quaqua versum tutam libertatem inuicem præstandam & conseruandam, ex textu ipso passim colligitur: in §. Darauff wir. ibi. Stände vnd Vnderthanen. §. Vnd als der Churfürsten. ibi. Stände vnd Vnderthanen. §. in solcher. ibi. Daß die Stände vnd Vnderthanen/ & paulo post, Der Stände vnd Vnderthanen gemüther widerumb in Ruhe vnd Vertrauen gegen einander zustellen. Item, quod in pluribus pacificationis locis indistincte fit mentio vtrique Religioni addictorum sine vlla distinctione Statuum & subditorum, cuiuscunque sint status vel conditionis, vbi constitutio non Religionem Statibus, sed Status & subditos Religioni accommodat, in eoque tertio, quasi æquali lance, generaliter & indistincte vtrosque componit, vt quatenus etiam minimæ vtriusque portioni, in ea nimirum Religione, suum vertatur vel interesse, vel præiudicium, eatenus hoc quoque beneficium eis ad pacem, tranquillitatem, serenamque fidei, Religionis, conscientia quietem profit. *argum. L. cuius effectus D. de R. l.*

Et cum certum sit res fidei, tanquam salutis, libertatemque conscientia, in rebus acerrimæ contentioni subiectis, singulos etiam quosque, nec tantum ipsos Status, pro libertate hac ante Constitutionem Pacificationis Religiosæ pugnasse, sanguinemque suum pronos effudisse, nec aliud, nisi vt libertas conscientia conseruetur, Paxque publica recuperetur, vnumquemuis desiderasse, quin etiam vnus & alterius Religionis viros transigendi summam tum in magistratus suos, tum consocios sibi Christianos, etsi non expresse, saltem tacite coniecisse, quemuis quoque Statum pro suis consociis subiectis, & non subiectis Christianis nec alia intentione, transegisse, remque ita publicam æquali lance

lance ex vtraque parte curatam fuisse, dicendum omnino est, ad singulos quoque sanctionem publicam omnimodo & ratione, nec non ob intentionem tum desiderantium, tum contrahentium, adeoque tam ad subditos, quam ad Status, publico iure irrefragabiliter pertinere, fidemque per hanc legem datam unicuius seruandam esse, omnes quoque alias rationes, quæ in contrarium aliunde, pro impugnanda sententia hac, petuntur & adduci solent, cum ob dictam intentionem, tum maxime pacis publicæ conseruationem, religiosa hæc sanctione quæsitam, ac restitutam nihil inferre, sed tanquam aliunde ad infringendam tranquillitatem publicam petitas, reijciendas nec audiendas esse. Alias constitutio religiosa effectum suum, id est, finem pacis publicæ non sortiretur. Vide *Frider. de Process. lib. 1. c. 30. nu. 2.* *Gylm. symph. supp. tom. 1. part. 1. tit. 2. & 3.* *Rumel. d. part. 3. ad Auream Bull. diss. 6. corol. 8.* *Bern. Bertram. de Pac. Relig. dat. th. 39. & aliquot seqq. apud Arum. in diss. de iuram. publ. volum. 1. Petr. Leopold. in diss. 24. apud Arum. ad constitut. pac. relig. quest. 2. an subd. fruant. Constitut. Relig.* Quapropter processus ex Constitutione religiosa subditis quoque in beneficiis emigrationis & libertatis conscientia turbatis decernendi. *Johannes von Langen in diss. sua inaug. ex iure publ. th. 29.* Etsi vero subditis Lege ista publica potestas publici exercitij suæ Religionis, quam diuersam à suo superiore profitentur, tributa non sit, eam tamen habere possunt ex concessione & renunciatione superioris sui, quæ licita & iure permessa, adeoque nulla probabili causa reuocabilis est, *Langen in d. disput. th. 22.* *Cran. d. diss. part. 2. probl. 8.* *Petr. Syring. d. diss. de pac. Relig. th. 46.* Idem statuendum est de præscriptione. *Gran. & Syring. d. d. loc.*

Proinde si superior contra concessionem vel renunciationem propriam, aut etiam prædecessoris sui, cui heres extitit, vel contra ius ex præscriptione quæsitum subditos suos molestat, non minus ex Constitutione religiosa ipsis succurrendum erit, quam si eiusmodi modus acquirendi liberi exercitij in edicto Pacificationis Religiosæ expressus esset, cum nouum non sit, vt leges priores trahantur ad posteriores. *L. non est nouum, 26. D. de legib.* & nulla ratio prohibeat, quo

H 3 minus

minus id, quod vni legi deest, ex alia suppleatur. Cels. Bargal. *de dol.* lib. 2. cap. 1. diu. 3. numer. 4. Syring. *d. th.* 46. A subditis itaque supplicando se eiusmodi ius quæsitum publici & liberi exercitij suæ Religionis ex concessione vel præscriptione habere, in eo vero vel iam turbatos esse, vel adhuc quotidie turbari, vel metum esse, ne turbentur, mandata de restituendo libero exercitio, vel de non offendendo ac turbando in eo sollicitari ac impetrari possunt, & quidem sub pæna banni. Cran. *d. diff. part. 3. probl. 5.* Gylman. *d. part. 1. tit. 3. vot. 12. in consult. numer. 15. & seqq.* quam ocyslime & maturrime. *d. constitut. §. Wir beuehlen.* ibi. *wider solches alles kein process. Recess. Imp. de Anno 1566. §. Wir wollen.* Denais. *in iur. Camar. tit. 181. de mand. sup. Pac. Relig.* Syring. *d. diff. th. vlt.* etiam sine clausula, per ea, quæ tradunt Schwan. *lib. 1. de process. Camer. cap. 8. Frid. d. lib. 1. cap. 33. numer. 1. & 2.* Syring. *d. th. vlt.* Cran. *d. diff. part. 3. probl. 6.* Quod si subditis grauatis vel turbatis per processus non mature subueniretur, vel etiam institutus illis neglectis in tollendo vel turbando Religionis exercitio pergeret, & vim maxime armatam adhiberet, haberent subditi occasionem & causam aduersus iniustam vim iusta arma & iustam defensionem opponendi, per rationes supra adductas, & Ducem Adiunctosque circuli sui, aliosque Status, vt & vicinos in auxilium suum sollicitandi, qui etiam vltro contra Constitutionem religiosam vi doloue petitos, grauatos, & oppressos protegere tenentur. *d. constitut. §. ferner vers pflichten.* Denais *de pac. Relig. constitut. numer. 26.* cum pax prophana & religiosa exæquatæ sint, & pari passu ambulent. Rosacorb. *pract. for. cap. 17. numer. 3.* Petr. Leopold. *in disc. 24. ad Constitut. Pac. Relig. apud Arum. volum. 1. quest. 2. pag. 684.* Bertram. *d. disputat. th. 43.* nec quicquam hac ratione in sanctionem istam publicam peccaretur, in qua, *§. Es soll auch kein.* cautum est, ne quis Status alterius subditos aduersus magistratum tutetur aut defendat. Hoc enim de casu violatæ Pacis Publicæ vel Religiosæ à magistratu in subditis intelligi nequit. Et cum, Cicerone teste *libro primo Offic.* duo sint genera iniustitiæ, vnum eorum, qui inferunt, alterum eorum, qui ab his, quibus infertur, si possunt, non propulsant iniuriam, tam in vitio est ille, qui non repellit à

lit à socio iniuriam, si potest, quam ille, qui facit. *Text. inc. non inferenda. 23. & cap. fin. quest. 4.* Hippo. de Marsil. *in L. unius. §. cogniturum. D. de quest. num. 56.* ubi ex hoc infert, defensionem non solum esse iuris naturalis, sed etiam diuini, per *text. in d. c. non inferenda.* Sic Moyses, cum vidisset Hebræum ab Ægyptio iniuriam pati, defendit eum, ita ut Ægyptium prosterneret. *Exod. 2. Gail. lib. 1. de pac. pub. cap. 16. numer. 17.*

Quia ergo ex hætenus ita dictis atque deductis patet, Principem Imperij, Ducem puta, Marchionem, Landgrauium, Burggrauium, Comitem, Baronem & similes dynastas seu proceres, Principatu, & feudo regali maiori cum conditione vel modo, de certo Romano Catholicæ vel Augustanæ Confessionis Religionis exercitio introducendo, retinendo ac propagando, relicto, cadere, si ipsi contraueniat, præsertim quando in istum casum clausula priuationis expresse testamento vel alij dispositioni adiecta & inserta est, facile colligi potest, quo iure & fundamento nitatur supra in principio relata Sententia Imperialis contra Dn. Mauritium Hassiæ Landgrauium, qui, etsi publicato testamento patris Dn. Ludouici Landgrauij ad obseruationem ipsius, & omnium in eo contentorum expressis verbis sese adstrinxisset, uti ex Actis Successionis Marpurgensis apparet, tamen exercitium Religionis Augustanæ Confessionis, cuius conseruandi ac propagandi onus ipsi iniunctum fuerat, in Principatu Marpurgensi, exauctoratis inde Superintendentibus, Doctoribus, Pastoribus, & Ecclesiarum Scholarumque Ministris, qui illam constanter profitebantur & sequebantur, mutauit, & alterius, quam Reformatam vocant, & quæ non expressa sanctione, uti Augustanæ Confessionis Religio & prætenfa Catholica, sed per tolerantiam potius in Imperio adprobata videtur, introduxit, cum tamen Doctores eiusdem profiteantur se cum iis, qui Augustanam Confessionem sequuntur, iisdem sacris salua conscientia uti, eosque pro fratribus agnoscere & habere posse, adeo ut vix vlla, nedum iusta, præfato Dn. Landgrauio Mauritio contrauentionis excusatio competere videatur. Neque enim
audi-

audiendi, sicuti in superioribus ostensum, qui putant Principem non obligari ad exercitium alterius Religionis, quam ipsemet probat & sequitur, imo in eiusmodi casu vel proprias, quas vocant, reuersales haud immerito negligi.

Hic subnectere placuit extractum, cuius supra facta mentio, ex testamento D. Ottonis Henrici Electoris Palatini.

Extract auß Welland Churfürsten Ott Heinrichs/Pfalzgraffen Testament/2c.

S Jeweil die Ehrwürdige vnd Hochgeborne/ des H. Reichs Churfürsten/ Geistlich vnd Weltlich / vnser Freund/Vättern Schriäger/ vnd vndheim/sich neben Vns/der wir iren Liebden in des Reichs fürnehmsten/ vnd höchsten gemeinen geschäften ein Zeitlang / als ein Wittchurfürst beygewohnet/hoch verständiglich/ gemungsam vnd zum vberflus sich zuerinnern haben/welcher Gestalt es in diesen letzte gefährlichen Zeiten/ da das Ende der Welt je länger je mehr herzu nahet / vmb das Reich Teutscher Nation vnser geliebten Vaterlands leider geschaffen/ in was Sorg/ Gefahr/ Anfechtung vnd Angst dasselbe vielerley Ursachen halben / die jeko nicht zuerzehlen/gerahen vnd die Sachen nicht allein innerlicher Trennung / sondern auch der euserlichen Feind / vnd insonderheit vnser Erbfeinds des Türcken halben/ also stünde/ wo nicht Gott der Allmächtig sein sonderliche gnedige vnd vätterliche Hülff thut / sich auch die Stände der Teutschen Nation selbst/ein jeder der Gebür nach / darein schicken / daß künfftiglich bey vnsern Nachkommen nichts anders zugewarten / dann jämmerlich Verwüstung/ Abbruch / Schmälerung/ Einreißung frembden gewalts/ Umbstossung der wahren Religion, vnd aller guter Policeny / Sitten vnd Erbarkeit / auch letzte endlich/ vnwiderbringlicher Vndergang vnd verderben.

Wie

Wiewol wir nun gar in keinen Zweifel setzen / obgemeldte unsere Mit
Churfürsten / werden solche Gelegenheit der Teutschen Nation auß sonderm
Verstande damit sie von Gott begabt seyn / nicht weniger / als wir / beherzigen
vnd zu Gemüth führen / auch fürter nach milden / friedlichen / sitlichen vnd
heilsamen mitlen vnd wegen gedenccken / wie solchem vnrath / vnd einreysse-
dem verderben mit Hülfß des Allmächtigen / zeitlich möge begegnet werden /
auch wir vngern ihren Liebden in diesem vnd andern Züchl oder Maß vorschrei-
ben wolten.

So bitten / ermahnen / vnd erinnern wir doch nichts desto weniger ihre
Liebden vnd nehmlich die Geistliche vnd Weltliche unsere MitChurfürsten /
auch vnsern Succellorn an der Churfürstlichen Pfalz / vnd derselben Nach-
kommen / als die in ein Corpus vnd des Reichs Regierung gehören / samptlich
vnd einen jeden Insonderheit / daß sie in Crafft ihres obliegenden vnd von Gott
befohlenen Ampts / für sich selbs / vnd wie wir ihnen freundlich antrawen / auch
vmb dieser vnserer trewherzigen wolmeinenden Erinnerung willen / der ge-
genwärtigen Gelegenheit vnserer allgemeinen Vaterlands desto Ernstlicher
vnd statlicher nachdencken / vnd auff Christliche / Gottselige / friedliche / schied-
liche mittel vnd weg trachten helffen / dardurch der schädlich Mißverstande /
vnd das verderblich Mißtrawen / so hin vnd wider bey den Ständen Teut-
scher Nation eingewurkelt / möge endlich vnd Christlich abgethan / hinges-
legt / vnd in Besserung gerichte werden. Vnd nach dem wir die drey Geistli-
che unsere MitChurfürsten / unsere Freund / dieses hohen Verstandes achten /
daß sie selbs erkennen mögen / daß viel Abgöttischer / schädlicher Mißbräuch
dem klaren offenbahren Wort Gottes zu wider in die Päbstliche Kirch vor
dieser Zeit eingerissen / welche mit keinem Grunde / oder genugsamen bestän-
digen Schein nicht zuwerthädigen / So bitten wir freundlich / vnd mit hohem
fleiß / ihre Liebden wolle sich derselben selbs Christlich erinnern / vnd einmahl
Gott dem Allmächtigen zu Ehren / Ihrer selbs eygen Seligkeit zu Befürdes-
rung / vnd zu allgemeiner Wolfahrt der Teutschen Nation (welcher durch
diß mittel beständiglich geholffen werden kan) nach einer Christlichen Gott-
seligen Reformation trachten / darzu dann Gott der Allmächtig allen ihren
Liebden sambtlich vnd einem jeden Insonderheit seine Gnad geben / vnd mit-
theilen / auch dieselbige mit seinem heiligen Geist gnediglich erleuchten wolle.

I So

So aber solches bey ihren Liebden noch zur Zeit nicht statt / Raum oder Platz finden wolte / so bitten wir doch freundlich / wo wir es nicht erleben / daß es geschehe / sie wollen auff fünffteigen Versamblungen bey der Römischen Keyserlichen Mayestat / vnserm Allergnedigsten Herrn / auch sonst neben andern Churfürsten / die Sachen dahin arbeiten / handeln vnd befördern helfen / daß die biß dahero von vns gesuchte Freystellung die Geistliche Ständ berührend vnd andere anhangende Puncten / die Erklerung vnd disposition des Religionfriedens belangend / erhalten vnd zugelassen werde.

Dann wir tragen die Fürsorg / wo solche Freystellung nicht erfolge / es werde vnder den Ständen Teutscher Nation nimmermehr kein rechts vollkommenes vnd herzliches vertrauen (welches sie billich als Glieder eines Leibs gegen einander haben sollen /) eingepflanzet / noch auch das schädlich Mißtrauen in vergeb gestelt / vnd auffgehbt werden. An solchem werden ihre Liebden Gott dem Allmächtigen ein sonderes angenehmes gefallen thun / wo sie schon nicht selbs zu vnserer Religion treten / dannoch dem Ewigen vnd wandelbahren Wort Gottes seinen Lauff lassen / vnd sich auff das wenigst nicht also wissentlich vergreifen / oder doch der Allerhöchsten Sünde wider ihr eygen Gewissen theilhaftig machen / vnd Gottes strengen Zorn auff sich laden / welches vnser verhoffens ihren Liebden vnd der ganken Teutschen Nation zu ewigem Lob / beständiger Wolfahrt vnd gewünschtem Wolstand in ewigen vnd zeitlichen Sachen gereichen wirdt.

In gleichem fall so legen wir hiemit auff vnsern Successorn an der Churfürstlichen Pfalz / vnd bitten die Andere beyde vnserer Weltliche Mits Churfürsten Sachsen vnd Brandenburg / als die Jenige / so wir ohne das zu Auffpflanzung der Göttlichen Wahrheit im besten geneigt wissen / ganz freundlich / ihre Liebden wollen vorermelte Geistliche Churfürsten zu diesem Christlichen heilsamen vnd nothwendigen Werck jedesmahls Christlich erinnern / vnd für sich selbs obbemelte Freystellung der Religion / sampt allen anhangenden Puncten allem möglichem fleiß nach befördern / vnd bey vnserer Christlicher wahren Bekandnuß standhafftiglich bleiben / vnd verharren / sich davon keinen Menschlichen Gewalt / auch der höllen Pforten abschrecken vnd abwenden / auch in Religionsfachen kein gefärbte / vnbeständige reconciliation oder Vergleichung / die der Göttlichen Wahrheit zu wider ist / bey ihrer Liebden

Liebden Kirchen einschleichen lassen. Ihre Liebden wollen auch für sich selbs in Religions vnd weltlichen Sachen auff den Reichs Versamblungen / vnd sonst gute Christliche verträwliche correspondentz halten / vnd sich von einander in Religionsachen / auch die Andere vnser Confessions verwandten Fürsten vnd Stände von ihnen nicht absondern lassen / wie wir dann gleicher weiß alle vnser Mit Churfürsten Geistlich vnd Weltlich freundlich erinnern / trewherkig vnd zum höchsten ermahnen vnd bitten / ihre Liebden / ob sie sich schon der Religion halben noch zur Zeit nicht vergleichen möchten / wolle nichts desto weniger in Sachen des Reichs reputation / hochheit / Prä- eminentz wolffahrt vnd gedeyen belangend / als nach der Römischen Käyserlichen Maystät / die fürnembsten Glieder vnd Seulen des Reichs / ein gute wolmainende verträwliche correspondentz halten / vnd sich zu keiner vnfreundschafft gegen niemand bewegen lassen / in Betrachtung / daß solche Sachen ihre Liebden alle miteinander berühren vnd betreffen / daß auch ihre Fürstliche vertrauliche Zusammensetzung der Teutschen Nation vnserm geliebten Vaterland zu höchster wolffahrt / vnd herwiderumb deren Vneinigheit / Sonderung vnd Spaltung zum höchsten euserstem verderben gereichen mag.

Wir bitten auch ihre Liebden zum Beschluß dieses Punctens sie wollen in allen ihren Rathschlägen die Sachen dahin richten / daß sie selbs vndereinander / Insonderheit der Religion halben in kein Kriegshandlung gegen einander erwachsen / daß auch solches bey andern Ständen / soviel Menschlich vnd möglich / jederzeit abgeschafft / vnd die Vergleichung der Religion nicht anderst / dann durch Christliche / friedliche vnd schiedliche mittel in Anruffung Göttlicher Hülff zu jederzeit gesucht vnd fürgenommen / auch der zu Augspurg auffgericht Religionsfried zu Ewigen Zeitten stat / vest vnd vnverbrüchlich gehalten werde.

F I N I S.

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is difficult to decipher due to its lightness and the texture of the paper.]









Ms 61

ULB Halle


3


006 698 956



WMA








B.I.G.

Farbkarte #13



Questionis,
INCEPS
ROMANO-
CI, DVX, MAR-
 s, vel alius, Baro, &c. in Princi-
 ori à Patre vel Agnato heres vel
 tus, conditione vel onere, de
 citio introducendo, retinendo ac
 ri, &, si non pareat, eiuf-
 cessione priuari
 possit?

HORE
LO, VVESTPHALO.



M. DC. XXVII.

(8)

5567

